MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80524-6

AUTHOR:

RINTELEN, KARL

TITLE:

DE THEOGNIDE MEGARENSI POETA ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

[1863]

Master Negative #

92-80524-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rintelen, Karl
De Theognide Megarensi poeta; commentatio philologica, qvam ... defendet Karolvs Rintelen. Monasterii, typis impressit Fridericvs Cazin [1863]
59 p.

Thesis, Münster.

1. Theognis.



Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 1-7-1993 INITIALS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Centimeter
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
mm
1
2
3
4
5
Inches


1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3


SIGILLUM COLLEGII COLUMBIAE NOVI EBORACI.
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN

DE THEOGNIDE MEGARENSI POETA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ALMA LITTERARVM ACADEMIA MONASTERIENSI AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

A. D. XII. KAL. FEBR. A. MDCCCLXIII

IN PVBLICO DEFENDET

KAROLVS RINTELEN
GVESTFALVS.

MONASTERII.
TYPIS IMPRESSIT FRIDERICVS CAZIN.

MAVRICIO. HAVPTIO

PRAECEPTORI. OPTIMO

PIETATIS. CAVSA

Primordia poesis Graecorum elegiacae inde ab Alexandrinorum iam grammaticorum ad nostram usque aetatem saepe tractata non satis dilucida sunt. Res enim ipsa tot tantisque laborat difficultatibus, ut equidem diu tractatam nitescere posse desperem. Quae testimonia ex ipsa antiquitate de origine et primordiis elegiacae Graecorum poesis exstant, non ex integerrimis fontibus derivata sunt, sed pleraque ex Alexandrinorum grammaticorum commentariis per compilatores, glossographos, alios huius generis homines ad nos pervenerunt. Multi quoque viri docti ad artem musicam regrediendum esse rati sunt, ita ut nunc quaestiones de arte musica et de carminis elegiaci origine non iam divelli possint: quo res lubricior etiam fit; nam nos non permulta de Graecorum arte musica scire inter omnes constat. Sed has quaestiones ipse attingere nolo, utpote quem vires et aetas deficiant; pauca tantum ex aliorum commentariis excerpta, cum aliena quam vana proferre maluerim, huc transscribam.

Rationem a plerisque eorum, qui de origine elegiae scripserunt, institutam in universum improbare nequeo; vocis enim significatio investiganda est, unde origo illustretur. Sed cum nulla fere disciplina tot habeat pericula, quot etymologia, et diversis temporibus diversas viri docti rationes secuti sint, factum est, ut pro sua quisque ratione vocis „elegiae“ etiam originem perscrutaretur; quare propter explicationum copiam omnes enumerare nequeo. Sunt autem certi denique fines etiam in litteris, ultra quos nemo progredi potest, nisi vana somnii specie deceptus. Quintiliani illud, multa nescire summam grammatici laudem esse, in his rebus non neglegendum est.

Elegiae nomen derivandum est ab elego, cuius vocis ipsam originem obscuram esse iam dixi. Sed in explicando vocabulo

Didymum omnes secuti sunt, qui apud scholiastam ad Aristophanis aves v. 217 interpretatur: „ἔλεγοι· οἱ πρὸς αὐλὸν ᾀδόμενοι θρῆνοι.“ Eadem Didymi interpretatio apud Orionem Thebanum p. 58. legitur, atque haec additur etymologiae ratio: „διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους,“ quam, sicut pentametri originem pulchre enarratam Didymi etiam esse censuerim. Pro synonymis igitur, ut grammaticorum more loquar, ἔλεγος atque θρῆνος plerumque habentur; quare elegiam carmen lugubre fuisse contenderunt. Verum, qui illam sectantur opinionem, quo primum tempore vox ἔλεγος usurpata sit, neglexerunt. Ubi πρῶτον ψεῦδος latere videtur, cum Alexandrini grammatici, quos auctores Horatius sequitur, a. p. 75 scribens:

„Versibus impariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est voti sententia compos.“

antiquum esse vocabulum putaverint. Id quod Franckius iam in libro pereleganti de Graecorum elegiae origine, Callini nomine incripto, summo iure commonuit; nam non invenitur haec vox ante medium saeculum quintum. At Pausanias narrat 10, 7, 3 Echembrotum, qui primus tibicen Delphis Ol. 48, 3 (586) vicisse fertur, Thebis Heracli tripodem collocasse, et hanc inscriptionem insculpsisse: „Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκεν τῷ Ἡρακλεῖ νικήσας τόδ' ἄγαλμα Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις, Ἕλλησι δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους.“ Quam Böttigerus iam, ges. deutsche Schriften 1. p. 35, non genuinam esse contendit, sed ex verbis extremis editores paucis mutatis distichon effecerunt, et Thierschius, acta philol. Monac. 3. p. 586, ex primis quoque verbis versus vestigia elicere studuit, cui inscriptionem a Boettigero defendenti inter alios Welckerus, kl. schr. 1. p. 65, adsentitur. Licet Pausanias ἐπίγραμμα, quo nomine disticha significat, illam inscriptionem nominet, Bergkius tamen, poet. lyr. gr. p. 739, ed. 2, Echembrotum poetam melicum esse voluit, atque hanc stropham effecit:

„Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκεν
τῷ Ἡρακλεῖ
νικήσας τόδ' ἄγαλμα
Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις,
Ἕλλησιν δ' ἀείδων
μέλεα καὶ ἐλέγους.“

neque quidquam, quo hanc disponendi rationem defenderet, addidit nisi: „quae in ordinem digessi. Frustra haec in hexametros redigere conati sunt.“ Sed summo iure epigrammatum forma usitata desideratur, cum vitiis librariorum eliminatis optime haec legantur:

„νικήσας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἀέθλοις,
Ἕλλησιν δ' ᾄδων μέλεα καὶ ἐλέγους.“

Quod versiculus primus oratione pedestri continetur, offendere nequit. Boeckhius enim C. J. Gr. 1. p. p. 34. 38. 883 uberius egit de hoc Graecorum more, qui interdum in inscriptionibus orationem pedestrem cum versibus coniungebant. At plerumque oratio pedestris versus sequebatur, non, ut in nostro disticho, versus orationem pedestrem. Quae prima mihi dubitandi causa fuit. Neque unquam, quantum equidem comperi, apud Graecos eius temporis, quo Echembrotus vixit, voce ἄγαλμα tripus significatur, quem diserte Pausanias nominat, neque forma μέλεα pro dactylo usurpata est ab elegiacis poetis, qui tum temporis teste Athenaeo 14. p. 632 d. summopere versus vitia effugerunt. Hiatus denique illicitus est: nam neque constat, digamma aeolicum Echembroti tempore ubique fere usurpatum, neque voci ἔλεγος unquam praefixum fuisse. Quae argumenta si omnia colliguntur, dubitandi rationes non deesse apparet. Licet genuinum sit epigramma et vocabulum usitatum, summo iure mirari debemus, quod haec vox prorsus evanuit, qua poesis tragica optime uti potuit, et cuius synonyma totiens apud poetas tragicos et lyricos inveniuntur. Quam illi non cognovisse potius, quam diligenter evitasse videntur. Quod Bachius, hist. crit. poes. gr. eleg. p. 9, rariorem atque doctioribus tantum cognitam vocem fuisse contendit, non est momenti, et quoniam Echembrotus in inscriptione, ubi plerumque vitae communis vocabula adhibentur, ea usus est, et quia Euripides, quantum nos scimus, primus in scaenam illam vocem produxit. Non autem ille verbum antiquitate iam oblitteratum (nam inter Echembrotum et Euripidem saeculum fere et dimidium interfuit), quod auctore Bachio ipsius poetae explicatione indigeret, protulisset, neque cum imitatus esset Aristophanes; nam sermoni cultiori Atticorum uterque propior est, quam qui ante eos fabulas docuerunt. Qua-

propter multo similius veri mihi esse videtur, non longo ante Euripidis aetatem illam vocem aut aliunde receptam aut in ipsa Graecia formatam esse. Quis primus Graecorum hac voce usus sit, nemo scire potest, pariter atque omnes ignorant, unde loci procella exorta sit; sed quis primus inter auctores servatos litteris mandaverit, grammatici conquirere possunt. Verbo autem ἔλεγος saeculo demum quinto in usum recepto antiqui grammatici saepe utuntur loquentes de poetis, qui ante Echembrotum vixerunt, ubi semper fere modus tibiis decantatus significatur, sicut in Echembroti etiam versu, quare, qui istud epigramma pro genuino habent, carminis lugubris notionem hinc elicere non possunt. De arte musica vero non agam, neque unde pentameter exortus sit quaeram, cum eius origo cum artis musicae incrementis artissime cohaereat. Nonnulli carminis lugubris primordia, vel omnes lamentationes, hexametris et pentametris conditas fuise censent; sic viri doctissimi, quorum nomina reticere quam proferre satius duco, mulieres Troianas Hectorem deplorantes „ἒ ἒ λέγ', ἒ ἒ λέγε“, vel „ἒ λέγε, ἒ λέγε, ἔ“ cecinisse sibi persuaserunt, unde forma pentametri totiusque carminis appellatio nata sit, et antiquissimo iam tempore poetas elegiacos vixisse putant. Linus autem non homo fuit certus, neque poeta, sed naturae tantum hieme morientis imago, qualis apud Phrygios Lityerses, apud Aegyptios Maneros, apud ipsos Graecos Narcissus et Hyacinthus carminibus lugubribus celebrabantur. Quem cum postea hominem et poetam fuisse arbitrarentur, eiusque nomen carminis lugubris notio assequeretur, Heraclides Ponticus ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν ἐν μουσικῇ· καὶ Λίνον τὸν ἐκ τῆς Εὐβοίας θρήνους πεποιηκέναι dixit, quem ad modum Plutarchus in libro de musica cap. 3 testatur. Unde Phylarchus apud Natalem Comitem p. 352, Linum elegiae inventorem nominavit. Quem Heraclides ex Euboea oriundum dixit, atque Suidas v. ἐλεγείνειν (etym. m. v. ἐλεγαίνειν) Theoclem Eretriensem elegiae inventorem appellavit, quare Welckerus utrumque coniunxit. Verum de Lino poeta elegiaco loqui non possumus. Olympus quoque tibicen tantum fuit, qui teste Aristoxeno in primo de musica libro modo lydico carmen Pythonis ab Apolline interfecti mortem lugens confecit. Neque Aristophanes, Plato, Aristoteles poetam eum nominant, sed

tibicinem. Suidas demum ποιητὴν ἐλεγείων eum vocat, qui unde sua desumpserit ignoratur.

Percenseamus iam, quae fide historica constant. At „vixere fortes ante Agamemnona multi“ nobis obicitur. Ante Callinum et quae praeterea novimus nomina, elegiae cultores vixisse possunt. Quamquam igitur eiusdem Horatii verba:

„quis tamen exiguos elegos emiserit auctor
grammatici certant et adhuc sub iudice lis est“

nunc etiam vera sunt, summum Boeckhium sequamur, qui C. J. Gr. I. p. 63 scribit „nec facile intelligo, quomodo quisquam carmini elegiaco tantam tribuere antiquitatem possit, quum ante Callinum elegiacum distichum aut nondum aut nuperrime inventum fuerit.“

Callinus Ephesius, qui circa Olympiadum initium floruisse videtur, olim iam pro antiquissimo poeta elegiaco habebatur, etsi nonnulli Archilochum vel Mimnermum antiquiorem esse putarunt. Sic Terentianus Maurus v. 1721 dicit:

„Pentametrum dubitant, quis primus finxerit auctor;
quidam non dubitant dicere Callinoum.“

Quo tempore igitur urbes Jonicae maxime floruerunt, primi Jones elegiam coluisse videntur, quem ad modum epica poesis quoque apud eos nata est. — Callini elegia non fuit lugubris, sed quantum ex perpaucis vestigiis cognoscitur, politica. Quodsi hinc in universum de antiquiore elegia suspicari possumus, prima poesis lyricae species fuit, quae ab epica poesi profecta est. Pentameter quoque hexametro iunctus simplicissima et prima strophae forma est. Unde factum est, ut omnibus fere animi motibus describendis adhiberetur. Quare paullo post iam elegia amatoria atque lugubris exculta est.

Quis primus post Callinum elegiam coluerit, non patet. Asium Samo oriundum huc rettulerim, cuius aetas quidem nusquam commemoratur, sed qui inter antiquissimos poetas refertur. Jpse, sicut Callinus, elegiam politicam coluisse videtur, sed ex fragmentis nihil colligi potest. Archilochus Parius etiam clarissimus poeta elegiis gloriam nactus est, quare nonnulli eum pentametri et elegiae inventorem crediderunt. Quae opinio inde nata est, quod Archilochus, omnium antiquitatis poetarum paene

ingeniosissimus, nova multa in arte musica et poetica invenit. Idem elegiae genus excoluit, quod Callinus, et Asius, et Tyrtaeus, qui aequalis Archilochi circa vigesimam tertiam Olympiadem floruit. Unde natus sit Tyrtaeus, non constat; sed Lacedaemone plerumque eum vixisse atque Lacedaemoniis carmina fecisse scimus. Tyrtaeus poetarum, quos novimus, elegiacorum primus praeter bellica carmina pacis etiam artes Lacedaemonios versibus docere studuit, unde carmen de bonis legibus (εὐνομία) ortum est. Alia etiam virtutis praecepta carminibus intexuit, qui mos inde a Tyrtaeo dilatabatur. Quadraginta fere annis post Tyrtaeum Mimnermus Colophonius vel Smyrnaeus vixit, qui primus, quantum nos quidem cognoscere possumus, elegiam amatoriam excoluit, quare ipse etiam omnino elegiae inventor nominabatur. Hermesianax iam lenes pentametri sonos a Mimnermo in amatorium carmen adhibitos esse apud Athenaeum 13 p. 597 f. dicit:

„Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο πόλλον ἀνατλὰς
ἦχον καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου,“

atque Propertius eleg. 1, 9, 11 his versibus carminis amatorii eum principem declarat:

„Plus in amore valet Mimnermi versus Homero;
carmina mansuetus lenia quaerit amor.“

Quae elegiae per totam antiquitatem clarissimae habebantur, et cum amantium suspiria imprimis versibus mollibus mandarentur, Mimnermi elegia prima lugubris appellari potuit; quam postea plerique Alexandrinorum imitati sunt, ita ut, quo tempore grammatici de notione elegiae quaererent, carminis lugubris notio elegiam assequeretur. Mimnermus vero non solum poeta fuit, sed quem ad modum paullo antea Clonas et Polymnestus, paullo post Sacadas, tibicen etiam ipse carminibus modos adiunxit, neque dubium esse potest, quin Mimnermus modos flebiles tibiis cantaverit, etiamsi non ipse invenit. Secuta est aetas septem sapientium, qui vocabantur, quorum nominibus haud exigua copia dictorum brevium, quae vitae virtutisque praecepta continebant, circumferebatur. Non mirum igitur esse potest, quod versibus etiam elegiacis praecepta talia condebantur. Chilo, Pittacus, Periander potissimum carminibus gloriam

sibi pepererunt. Neque Mimnermus, qui illorum aetatem attigit, a sapientiae et bene beateque vivendi praeceptis abstinuit. Inter omnes autem sapientes summam gloriam nactus est Solo Atheniensis, Execestidis filius. Qui non legum conditoris tantum, verum etiam poetae gloria prae ceteris eminuit; omnis fere generis permulta carmina scripsit; fragmentorum autem pars maxima versibus elegiacis continetur, quorum nonnullos in cives suos, nonnullos in se ipsum composuit. Haec carmina imprimis complectebantur, quae ipse de vitae humanae rationibus cogitaret, quomodo vivendum esse censeret. Carminum etiam ad amicos, ut ad Critiam et Philocyprum, scriptorum fragmenta perpauca gnomarum, ut praeceptorum nomine Graeco utar, vestigia produnt. A Solone igitur potissimum derivanda est ethica, quae nominari potest elegia, cum politica, quam ipse quoque excoluit diu iam antea floruerit. Sed non Solo poesin gnomicam, i. e. gnomas numero tantum et orationis cultu poetico ab oratione pedestri diversas condidit, sed carmini elegiaco sententias tantum morales intexuit.

Poetarum, qui post Solonem vixerunt, elegiacorum Theognis maxime praecipuus est, cuius res mihi non indignae visae sunt, quas denuo percenseam, praesertim cum omnium poetarum elegiacorum vix tot fragmenta servata sint, quot unius Theognidis.

De Theognidis vita perpauca memoriae tradita sunt, quare viri docti coniecturis saepe memoriam adiuvare studuerunt. Neque ipsius quae feruntur carmina usurpari posse, unde poetae res exponantur, nisi antea eorum fides investigetur, satis apparare arbitror. Quo aegrius ferre debemus, quod antiquorum auctorum testimonia nulla fere exstant; quare quae Suidas compilavit, summi momenti sunt, apud quem haec leguntur: „Θέογνις Μεγαρεύς, τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων, γεγονὼς ἐν τῇ νθ' Ὀλυμπιάδι.“ Quae sequuntur, nondum respici debent. Unde Suidas sua descripserit, non patet.

Primum de patria poetae quaeramus, quam non omnes auctores Megara Siculorum, ut Suidas, nominant. Plato primus

Theognidem Siculum esse contendit, qui in libro de legibus I. p. 630 a. Atheniensem hospiti Lacedaemonio hunc in modum respondentem facit: „ποιητὴν δὲ καὶ ἡμεῖς μάρτυρα ἔχομεν, Θέογνιν, πολίτην τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων.“ Non dubium esse potest, quin a grammaticis Alexandrinis Theognidis quoque res expositae sint, quamquam eorum commentarios prorsus ignoramus. Didymum autem, qui omnium fere antiquitatis grammaticorum princeps existimandus est, libro, quem de poetis scripsit, Theognidis etiam res tetigisse contendere debemus, cum pauca de Theognide servata nusquam aptius referri possint, quam ad illum de poetis librum Nam scholion hoc Platonis loco adscriptum est, p. 448 ed. Bekk: „περὶ Θεόγνιδος καὶ τῆς κατ᾽ αὐτὸν ἱστορίας ἀμφιβολία πολλὴ ἐγίγνετο τοῖς παλαιοῖς· καὶ οἱ μέν φασιν αὐτὸν ἐκ Μεγαρέων γεγενῆσθαι τῆς Ἀττικῆς· οὕτως ὁ Δίδυμος, ἐπιφυόμενος τῷ Πλάτωνι ὡς παριστοροῦντι, οἱ δὲ ὅτι ἐκ Σικελίας.“ Quocirca, cum dubitari nequeat, quin Didymus serio in hanc rem inquisiverit, et cum non mediocris ille acuminis fuerit, Platonem errasse statuendum esset, nisi alia difficultatis expediendae ratio ultro se offerret. Atheniensis, quem Plato colloquii participem fecit, Lacedaemonio Theognidis ut sui civis, ut poetae Attici, testimonium opponit, eodemque modo Theognidem πολίτην Megarorum Siciliae fuisse dicit, quo Tyrtaeum Lacedaemoniorum civem (πολίτην) appellat, unde Theognidem Megaris Siculorum, quae Megarorum Atticorum colonia erant, civitatem nactum esse colligere possumus. Accedit, quod grammatici etiam, quibus Harpocratio usus est, nisi Didymum ipsum exscripsit, Theognidem Megaris Atticorum oriundum fuisse perhibuerunt; legitur apud eum: „οὗτος δ᾽ἦν Μεγαρεὺς ἀπὸ τῶν πρὸς τῇ Ἀττικῇ Μεγάρων. αὐτὸς γάρ φησιν ὁ ποιητής· ‛ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν,’ ᾧ μὴ ἐπιστήσας Πλάτων ἐν α′ νόμων τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων πολίτην ἔφασκεν. κατηκολούθησαν δὲ τῷ Πλάτωνι οὐκ ὀλίγοι.“ Provocat igitur Harpocatio ad v. 783, qui inter Theognideos legitur, unde poetam Siculum non fuisse apparet. Stephanus etiam Byzantius v. Μέγαρα Didymi auctoritatem sequitur; quapropter Camerario, Platonis asseclae, Scaligerus, Passowius, Welckerus non accedunt. Odofredus autem Müllerus Siculum fuisse Theognidem arbitratur; ipse vero in libro de Doriensibus,

vol. I. p. 123. not. 3. eosdem homines et coloniae et metropolis cives nominatos esse exemplis docuit. Inter versus etiam Theognidis nomine inscriptos nonnulli Graeciae potius quam Siciliae civitatem designant. Nominavi iam v. 783, ubi poeta sese in Siciliam venisse, sed patriam amicis illic degentibus multo cariorem sibi fuisse dicit. V. 23 Megarensem se nominat poeta, sed utrorum Megarorum civis sit, non addit. V. 247 nominatur Graecia atque insulae. Imprimis autem, qui hanc sententiam antea iam proposuerunt, urgendos esse rati sunt v. 773. 774:

„Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην.
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.“

Pelopis enim filium, Alcathoum, urbis Megarorum conditorem Apollo in exstruenda arce adiuvasse fertur. Megara igitur Atticorum nominantur. Graecia etiam paullo post (v. 781: „καὶ στάσιν Ἑλλήνων λαοφθόρον“) commemoratur. cf. v. 805. 879. 891. 997. 1087. Cum Graeciae igitur, non cum Siciliae poeta nobis res est.

Postquam de patria poetae quaesivimus, quo tempore vixerit, investigandum est. Suidas Olympiade undesexagesima (a. 541 a. Chr.) Theognidem natum esse narrat: „γεγονὼς ἐν τῇ νθ′ Ὀλυμπιάδι.“ Eadem temporis designatio apud Suidam iterum occurrit v. Φωκυλίδης, ubi legitur: „Φωκυλίδης Μιλήσιος, φιλόσοφος, σύγχρονος Θεόγνιδος· ἦν δὲ ἑκατέρος μετὰ χμζ′ ἔτη τῶν Τροϊκῶν, Ὀλυμπιάδι γεγονότες νθ′.“ Eusebius autem, ut ex Hieronymi chronico patet, Ol. 58, 1 eum „clarum habitum fuisse“ narrat, quocum Cyrillus, c. Julian. 1. p. 13; 7. p. 225, consentit; Syncellus etiam atque chronicon paschale Ol. 57 nominant. Quare fuerunt, qui floruisse Ol. 59 Theognidem a Suida quoque dici contenderent. Sed si alios examinamus auctores, maiore fide dignus videtur Suidas. Nam in chronico paschali Ol. 60 demum Phocylides subsequitur, quem Cyrillus quoque cum Theognide coniungit. Quos auctores illi secuti sint, non scimus; Suidam autem nonnulla quidem antiquis grammaticis debere postea comprobabo. Porro, cum omnes non satis accurate in his numeris atque in vocibus, quales sunt, „vixit, floruit,“ versentur, equidem non perspicio, cur non eadem fides Suidae tribuatur; apud quem verbum ‛γίγνεσθαι’, praepositione ‛ἐν’ adiecta, plerumque tem-

pus, quo quis natus sit, designari mihi animadvertisse videor. Welckerus Theognidem eo tempore non natum esse, sed floruisse, numeris istis comprobat, Bergkius vero alterum argumentum esse putat v. 761 — 768, atque v. 773 — 782; scribit enim in adnotatione ad v. 903. poet. lyr. gr. p. 431. ed 2.: „De Theognidis aetate multo rectius iudicant veteres grammatici, quam nostri homines; quae v. 766 et 775 leguntur, ad Harpagi expeditionem referenda sunt, sed dicitur de hac re alias.“ V. 764 quidem de hac Harpagi expeditione intellegi potest, quae c. a. 544—540 instituta est. Sed quomodo hoc bellum in Asia gestum poeta bellum Medorum vel Persarum appellare potuerit, non apparet, cum Megaris metus eorum non fuerit, etsi Cyrus minitatus esset, non solum, morte modo ne auferretur, se Jones, sed Lacedemonios quoque bello subacturum esse; belli autem adversus Graecos postea mentio non fuit. Alter accedit locus v. 775, qui nos cum Bergkio de Harpagi expeditione cogitare vetat. Megara hoc loco significari „alta Alcathoi urbe“ iam commonui; et anquirenti nullum aptius huc referendum videtur bellum, quam expeditio Mardonii anno Olympiadis 75 altero (479) suscepta. Nunquam praeterea tanto periculo Megara exposita erant, quanto quo tempore Mardonius in Attica castra collocaverat. Nam cum Xerxes anno superiore in eadem regione cum exercitu versaretur, classis Graecorum ad Salaminem insulam coacta erat, quare Atticae fines Xerxes egredi non potuit; avecta autem classe metus erat, ne Xerxes Salamine et Megaris potiretur, sicut Themistocles etiam Graecos edocuit (Herod. 8, 60, 1.). Hanc ob causam ad Salaminem Persis resistendum esse praeter Themistoclem duces navium Aegineticarum et Megarensium soli censuerunt (Herod. 8, 74. Duncker. 4. p. 789). Xerxes victus ipse fugit, exercituique ex Attica regredienti Mardonium praefecit, qui anno insequenti rursus Atticae fines invasit, cum apud Salaminem nullae naves essent. Cleombrotus, Lacedaemoniorum rex socios dimisit, et sola Peloponnesus a Persis defendi potuit. Athenienses auctore Aristide Cimonem, Miltiadis filium, atque Myronidem (Plut. Arist. 10. coll. 5.) legatos Spartam miserunt, qui Lacedaemonios advocarent. Una cum his Plataeensium et Megarensium legati

Spartam missi sunt, quibus periculum propius etiam quam Athenis imminebat (Herod. 9, 7.). Tunc Theognis Apollinem, patriae patronum, invocare potuit, cum alius non esset tutor; tunc Persarum exercitus 'στρατὸς ὑβριστής' nominari potuit, melius quam quo tempore ipse Xerxes aderat, ne Harpagum memorem. Quamquam Chileus Tegeata Lacedaemonios oravit, ut Atheniensibus auxilia mitterent, hi tamen ex urbe Salaminem se recipere coacti sunt; Mardonius urbem ingressus iterum flammis devastari iussit (Herod. 9, 13). Sed neque in Attica, neque in Jsthmo Lacedaemonios appropinquantes opperuit; in Boeotiam rediens mille iam armatos Jsthmum egressos esse comperit, quapropter equites ad occidentem versus prodire iussit, qui Pegas venientes certiores facti sunt, Megaris Lacedaemonios sese inclusisse, et ad Mardonium reversi in Boeotiam properarunt. Megarenses autem Dianae adiutrici tam Pegis quam Megaris statuam aeneam collocandam curaverunt (Herod. 9, 14. Pausan. 1, 40. 1, 44). Omnia igitur optime in Mardonii expeditionem quadrant. Alia etiam proferri possunt argumenta, quibus temporis designatio firmatur. V. enim 891 — 894 referendi sunt ad bellum, quod Athenienses anno Olympiadis sexagesimae octavae tertio (506) cum urbe Chalcide in Euboea gesserunt. (Herod. 5, 77. 6, 100. Diod. Sicul. excerpt. Vatic. lib. 10. p. 40. ed. Dind.). Cerinthus Chalcidis portus fuit, quae urbs olim mari praepotens fuit (Thucyd. 1, 15); campus lelantius, uberrima insulae pars, quam nobiles, „equorum domini,“ possidebant, civibus Atheniensibus dabatur, ipsique nobiles fugerunt. Sed de interpretatione illorum versuum nihil certi constat, quapropter neque quidquam pro certo contenderim.

Suidas denique inter Theognidis carmina primo loco recencet: „ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακουσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ,“ cuius elegiae vero nulla restant certa vestigia, neque quemquam praeterea eius mentionem inicere memini. Grammatici igitur potius, quam libri manuscripti eius memoriam conservasse censendi sunt. Quem Suidae locum non minime argumentationi nostrae apponendum iudicavi. Verba autem, quamquam nihil aliud significare posse videntur, nisi: carmen elegiacum in eos Syracusanorum, qui in obsidione (Syracusarum) servati sunt, in du-

bium vocata sunt. Et Odofredus quidem Muellerus in egregio de Doriensibus libro, 2. p. 509, non Syracusas, sed Megara Siculorum obsessa dici putat, itaque τῶν Συρακουσίων genitivum esse subiecti qui vocatur, quae verborum collocatio ab omni, etiam a Suidae, sermone Graeco abhorret, qua commotus difficultate Welckerus in commentatione editioni praemissa p. XV. „veri sane simile“ esse, „Theognidem in cives suos elegiam scripsisse,“ at „Suidam errasse potius“ statuit. Cui opinioni qui accedunt, oportet ut cogitent de Gelone Syracusarum tyranno, qui Megara oppugnavit, atque incolas inde Syracusas transduxit; id quod ex Muelleri coniectura haud dubia, l. c. l. p. 122, cui Welckerus prolegomenon p. XV accessit, factum esse nequit ante Olympiadis septuagesimae quartae annum alterum. Teste autem Herodoto, qui solus 7, 156 hanc obsidionem enarrat, quam Thucydides 6, 4, 2 atque 6, 94, 2 obiter tantum commemorat, urbs obsessa statim in deditionem a Gelone accepta est, qui neque nobiles neque plebem trucidavit, ita ut Theognis vix in eos, qui ex hac obsidione servati sunt, carmen elegiacum conscribere potuerit. Schneidewinus in delectu, p. 46, Suidae verba coniectura non felicissima prorsus invertens ἀναλωθέντας scripsit, Theognidem non servatos, sed necatos carmine celebrasse ratus. Quod cur fecerit, ipse rationem non addit. Heckerus denique, tacito suam faciens Muelleri Welckerique opinionem, aliam ingressus est viam, qua expediret difficultates. Scribit in epistola critica Schneidewini philologo inserta, vol. 5. p. 473: „Verbis ἐν τῇ πολιορκίᾳ significatur haud dubie obsidio Megarorum, coloniae Megarensium, de qua Thuc. 6, 4. 6, 94 E quibus locis titulum carminis Theognidei ita refingendum putabam: εἰς τοὺς ἡσσηθέντας τῶν Συρακουσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ, ut carmen fuerit flebile et lugubre, quo urbem captam a Syracusanis civesque extorres factos luxerit et deploraverit. Sed dubitationem, an non σωθέντας sanum, reliqua depravata sint, inicit Herodoti locus 7, 156 de Gelone.“ Si priori accedimus coniecturae Heckeri, haec est sententia: in eos, qui a Syracusanis victi sunt in obsidione; sed haec non sunt Graeca; alteri coniecturae, cetera esse depravata, nihil argumenti simile apponi potest. Quare omnino non cogitandum est de obsidione Megarorum Siciliae, sed Suidae verba,

ut nunc leguntur, respicienda sunt. Necessario igitur de Syracusarum obsidione quadam cogitamus; sed una tantum convenit cum universa temporis ratione, quem ad modum et ex Suidae testimonio et ex eis, quae supra disputavi, apparet. Summo enim iure Welckerus iam animadvertit, Ol. 72, 2 vel 73, 4 Gelonem Gelae tyrannum Syracusis politum quidem esse, sed non per vim politum esse, ita ut de Gelone quaestio moveri nequeat. Jtaque nihil restat, nisi ut cogitemus de Hippocrate, qui Gelam tyrannus ante Gelonem obtinuit. Qui Syracusanos ad Helorum flumen pugna devicit, urbemque Ol. 72, 1 oppugnavit, quae ipsa Corinthiorum et Corcyraeorum auxilio atque opera servata est. Jn hanc obsidionem sane Theognis carmen elegiacum componere potuit, cum Syracusani vix summum discrimen effugissent. Narraverunt hanc obsidionem Herodotus 7, 154; Diodorus Siculus, excerpt. de virtut. et vit. lib. 6—10, vol. 2. part. 2. pag. 90. ed. Dind.; Meyerus in diario antiquit. a. 1846. p. 513 seqq. — Constat igitur, sive hanc, sive illam obsidionem designari putamus, Theognidem pugnae Plataeensis tempore adhuc vixisse; quare etsi v. 1351: „γέροντι δὲ πείθεο ἀνδρί“ legitur, quem a Welckero aliisque Theognidi adscriptum equidem non in censum venire posse ostendam, veri similius est, Theognidem natum demum esse Ol. 59, i. e. circa annum 540 a. Chr., sicut Suidas tradidit, quam hominem viginti vel triginta annorum tum floruisse. Quamquam insolitam eum aetatem attigisse non negaverim.

Praeterea de Theognidis vita nihil certi compertum habemus: ex carminum fragmentis quidem nonnulla suspicari possumus, sed cum nondum in fragmenta inquisiverimus, his de rebus nobis agere non licet. Neque versus istos, quibus usus sum, in rem nostram adhibui, quo certe eos Theognidi tribuendos esse censeam, sed quia illi auctores iam, qui in eadem re studia collocaverunt, eos usurparunt. Difficillima etiam haec quaestio est, quem ad modum ea comprobant, quae Odofredus Muellerus et Alfonsus Heckerus de Theognidis vita e nonnullis versibus sibi visi sunt elicuisse. Jd tantum constare videtur, fuisse Theognidem unum ex optimatibus, quapropter, quae, Plutarchus et Aristoteles memoriae tradunt de Megarorum civi-

tate hoc tempore multimodis turbata comparanda sunt cum eis, quae certo ex carminibus consequuntur. Quem laborem cum Welckerus iam susceperit, ut res iterum pertractetur, non opus est. Neque de Cyrno mihi agendum est, quoniam multo potius interpretatio versuum talis disputatio est, quam commentatio de rebus Theognidis eiusque carminibus.

Quae Theognidis nomine nunc inscribitur versuum elegiacorum collectio carmen integrum vel continuum esse nequit fragmenta etiam singula tam diversum praebent adspectum, ut suo iure dubitatio oriatur, an unius poetae opus sit. Collectionem talem a poeta esse profectam nullo pacto crediderim. Et re vera non unum esse horum versuum auctorem fragmenta quaedam nos edocent, quae ab antiquis iam auctoribus aliis tribuuntur poetis. Qui primus in Germania Theognidem interpretandum sibi proposuit, Joachimus Camerarius iam accurate perspexit, carmina Megarensis poetae nomine inscripta non unum atque integrum formare libellum; itaque recto usus iudicio scripsit: „Νῦν δὲ φανερόν, ὅτι τὰ Θεόγνιδος ἐπιγραφὴν ἔχοντα ἔπη συναθροισμός τις ἐστὶ ποιημάτων διαφόρων, περιαιρεθέντων δηλάδη ἐκ τῶν ἐκείνου, ὅσα τινὸς αἰσχρολογίας ἔχεσθαι ἔδοξεν. καὶ ἀντὶ τούτων ἐμβληθέντων ἄλλων· διὸ καὶ ἀσυνάρμοστα ἐστὶ τὰ πλεῖστα, καὶ τὰ αὐτὰ ἀναπολητικῶς παλιλλογεῖται· ὅτι δὲ καὶ Σόλωνος καὶ Τυρταίου ἔπη κατεμέμικτο τοῖς Θεογνιδείοις, σαφῶς ἐνδείξομεν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι· καὶ ὑπολάβοι ἄν τις οὐκ ἀλόγως ἐκ τούτων, ὅτι καὶ ἄλλα παντοῖα παρενεβλήθη.“ Camerarius ipse quae sagaciter senserat non uberius persecutus est, sed aliis rem agendam reliquit. Neque qui post eum in Theognide explicando studia collocaverunt, has partes persecuti sunt, nisi quod, quae manifesto aliorum poetarum sunt, horum nomine inscripserunt. Ordini cuidam enim potius Theognis restituendus plerisque videbatur, quam versus suo auctori reddendi. Sic non magni momenti sunt, quae Brunckius, Wassenberghius, Epkema protulerunt, ut paucos tantum nominem, quorum conatus modo id agebant, ut versus, qui materiam consimilem tractarent, iuxta ponerentur; neque Caspar Barthius

verum assecutus est, adversariorum 15, 4 scribens: „illud quoque addendum arbitror, universum, quod Theognidis restat, truncatis sententiis et hiantibus a variis compactum videri in unum codicem, nec plane difficulter ordini alicui restitui posse, si quis laborare non abnuat.“ Welckerus demum, insigni usus doctrina atque sagacitate, quem ad modum medici cadavera dissecare solent, quo melius quae sit universi corporis natura et quo quodque modo institutum sit cognoscatur, sic Theognideorum corpus in partes dissecuit, ut partibus non sanis atque ab ipso Theognide alienis omissis corpus priore melius restitueretur.

Ante omnia igitur opus est, ut removeantur, quae ab antiquis iam auctoribus aliorum poetarum nomine afferuntur, „contra quorum testimonium collectioni nostrae ne tum quidem, si omnia maiorem integritatis et unitatis speciem haberent, fides adiungi posset,“ ut Welckeri verbis utar. Solonis potissimum Atheniensis haud exiguus versuum numerus inter Theognideos fertur, sed aliorum quoque poetarum versus inveniuntur.

Suo iure igitur dubitatio oritur, an ipse Theognis huiusmodi collectionem instituerit; id quod per se iam non veri simile videtur; verum quo cognoscatur, quaenam carmina Theognidis nomine olim inscripta fuerint, colligenda esse arbitror, quaecunque ab antiquis iam auctoribus de carminibus poetae Megarensis memoriae tradita sunt. A Suida incipiendum esse existimo; nonnullos eiusdem generis scriptores, ut chronicorum auctores, prorsus neglego, cum nihil inde lucremur. Suidas igitur haec in lexico suo habet: „Ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακουσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ, γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βω', καὶ πρὸς Κύρνον, τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον. γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς· τὰ πάντα ἐπικῶς. ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι εἰσὶ μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες, καὶ ἄλλα ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος.“ Cuius testimonium quorum grammaticorum auctoritate nitatur, prorsus incertum est; quamquam quae de Theognidis patria et aetate ipse Suidas, vel quem ille exscripsit lexicographus, memoriae prodidit, ex antiquorum grammaticorum commentariis derivata sunt, quin immo Alexandrinorum aetatis ve-

stigia apparent, vix tamen adduci possum ut arbitrer, a grammatico quodam peritiore sententias istas confusas atque abruptas dispositas esse. Quaecunque Suidas compilavit, temere undique collecta atque in unum coacta sunt, neque ordini consuluit, qui compilavit. Singulas autem catalogi partes iam examinandas arbitror.

Disputavi iam de elegia in Syracusanos servatos, quam primo loco commemoravit Suidas; cuius nulla supersunt vestigia. Cognoveritne ipse hanc elegiam necne fortasse postea apparebit. Tum lexicographus Theognidem scripsisse dicit: „γνώμας δι' ἐλεγείας, εἰς ἔπη βω'." Quo nomine versus elegiaci, qui vitae praecepta continent, quas sententias breves γνώμας Graeci appellaverunt, designantur. Quamquam non quaecunque Theognidis nomine leguntur, gnomarum (ut Graecam vocem in sermonem latinum transferam) notione, qualis apud Xenophontem, Jsocratem, Aeschinem, Aristotelem obtinuit, continentur, pars sane, quae maxime eminebat, gnomis adnumeranda est, ita ut nomen a potiore desumptum sit. Versus etiam superstites eodem nomine interdum designantur: sex codices solam hanc habent inscriptionem: „Θεόγνιδος γνῶμαι"; in codice C. additum est: „γνῶμαι ἐλεγειακαί"; in codice S.: „ἡρωελεγεῖοι οἱ στίχοι"; Suidam igitur nostram collectionem illo nomine significasse arbitrarer, nisi versuum numerus obstaret, qui apud Suidam prorsus alius est atque in collectione nostra. Legitur deinceps apud illum: „καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὐτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων. καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς· τὰ πάντα ἐπικῶς." Eodem iure, quo antea Suidam nostram collectionem significasse arbitrati sunt, hoc nomine versus superstites designari putari possunt. Talis enim sententiarum collectio tam γνῶμαι quam γνωμολογία nominari potest. Cyrni autem nomen totiens in distichis legitur, ut sane universa farrago ad Cyrnum scripta vocitari possit; et re vera interdum hoc modo nominatur; sic codex R. hanc habet inscriptionem: „Θεόγνιδος γνῶμαι τοῦ Μεγαρέως πρὸς Κύρνον τὸν ἑαυτοῦ φίλον," atque H.: „Θεόγνιδος Μεγαρέως γνωμολογία πρὸς Κύρνον Πολυπαΐδην τὸν ἐρώμενον." Accedit quod utrumque nomen iuxta positum legitur in codice N.: Θεόγνιδος γνῶμαι· μᾶλλον Θεόγνιδος γνωμολογία πρὸς Κύρνον τὸν ἐρώμενον."

Plutarchus quoque 'γνωμολογίας', numero plurali usus, Theognidis carmina apellavit. Unde mihi non dubium esse videtur, quin Suidas eiusdem rei duo nomina apposuerit, quae sive ipse sive quem exscripsit alio loco invenit. Sed quid Suidas sibi velit scribendo: „καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς" non satis apparet. Welckero accedendum esse arbitror, qui prolegomenon p. LXXIV scribit: „Tertio igitur eadem res perhibetur, gnomas vocat primus, alter gnomologiam, quo nomine Theognidea etiam a Plutarcho citantur, tertius Paraeneses, uti etiam apud Stephanum Byz. et Aphthonium appellantur." Thucydidis etiam scholiasta II. 47. Theognidem nominat 'τὸν ποιήσαντα τὰς ὑποθήκας', neque dubium est, quin Lucianus eo quod scripsit de saltat. 67: „καλὴ γὰρ ἡ ποιητικὴ παραίνεσις ἐκείνη" κ. τ. λ. Theognidis versum 215. designaverit. Multo maiorem etiam difficultatem verba quae insequuntur commoverunt: „τὰ πάντα ἐπικῶς". Nam etsi persaepe vox 'ἔπη' ab ipsis iam antiquis auctoribus de versibus elegiacis, de distichis, usurpatur, tamen ne apud serioris quidem aetatis grammaticos et compilatores unquam ἐπικῶς pro ἐλεγειακῶς dictum invenitur. Sed hanc rem non pro certissima iure iurando affirmaverim: exempla neque unquam annotata inveni, neque ipse simile quidquam legere memini. Difficultatem istam, nodum non tam disputatione accurata dissolvens, quam temere rumpens Schneidewinus, delect. p. 46. adnot. scribendo 'ἐλεγειακῶς' removere conatus est. Sed quamquam „librarii oscitationem" huius difficultatis rationem esse contendit, vereor ne ipse non satis prudenter egerit. Joannes Valentinus Franckius, in libro quem supra iam laudavi, p. 87. transponendo locum sanare studuit; sed neque transpositione quidquam efficitur. Nonnulli numerum hic latere suspicati sunt, ut sit: „τὰ πάντα ἔπη . . .", quae coniectura, etsi a veritate non tam procul abesse videatur, quam Schneidewini, defendi tamen nequit, cum numerus versuum semel iam nominatus sit, neque nominibus istis diversa carmina a Suida designentur, nisi quis forte eundem numerum temere repetitum atque corruptum esse censeat. Welckerus „parum apte" Suidam hac voce uti scribit. Winiewskius praeceptor egregius . ἐπιεικῶς legendum esse se suspicari humanissime mecum communicavit: quae vox in ἐπικῶς facillime depra-

vari potuit, atque optime sensus convenit cum eis quae sequuntur. Rem non liquere libenter confitendum est: aut ineptiit Suidas, aut ipsius vel librariorum error subest. Quae postremo de Theognidis carminibus adnotantur, ab ipso Suida profecta sunt. Quae spurcitiae et amores pueriles in nostra quoque Theognideorum collectione leguntur, ita ut rursus dubitatio oriatur, annon Suidas nostra usus sit farragine. Quapropter de numero versuum mihi nunc quaerendum videtur, qui nisi obstat, cum cetera optime quadrent, Suidae tempore iam Theognidem nostrum hac fuisse conditione suo iure arbitrari possumus. Numero, quem Suidas affert, fides haberi potest, cum plerumque numeros aut ex antiquiorum grammaticorum voluminibus sumpserit, aut ipse adhuc carmina cognovisse videatur. Olim igitur 2800 versus lectitati sunt. Jn libris autem nostris 1389 tantum versus exstant, qui numerus non convenit distichis; quare aut 1388 aut 1390 versus numerandi sunt, cum v. 1382, quem Bekkerus in duorum pentametrorum partes dispescuit, aut pro uno tantum versu numerandus sit, aut hexameter etiam, qui inter duos pentametros, quos in unum coaluisse probabile est, excidit, numerari debeat. Sed libri manuscripti non omnes eundem versuum numerum complectuntur: cuius rei exemplum maxime conspicuum in libro Mutinensi apparet, unde Bekkerus demum 160 versus edidit qui ante eum prorsus ignorabantur. Casu factum est, ut liber Laurentianus (plut. 31, 20. a Bekkero L. littera insignitus) ter quadragenos senos, semel autem quadraginta octo versus omitteret: folia vicenorum ternorum vel quaternorum distichorum aut in ipso hoc libro aut in eius archetypo exciderunt. Casu quoque in duobus codicibus (M. et F.) versus 369 et 370 in unum coaluerunt, atque Parisinus ille versum 1160 omisit. At non casu sed consulto disticha quaedam in nonnullis codicibus omissa sunt: sic v. 937. 8 atque 1185. 6 decem codices omittunt, septem tantum agnoscunt, duo codices v. 877. 8 v. 1081. 2 v. 1155 6. omittunt. Nonnulla etiam disticha in collectione nostra bis leguntur, quorum pars in omnibus libris, ut adnotarunt editores, iteratur, pars in uno tantum vel in paucis. Cum, qui vulgatum versuum numerum instituerunt, neque omnes ne-

que optimos codices cognoverint, leges adhiberi in distichis recipiendis non potuerunt, quae nunc etiam valeant, sed quae lex tum videbatur, nobis arbitrio non dissimilis videtur. Quam ob causam illum librum in recensendo versuum numero quoque imprimis aestimari, qui in universum antiquissimus sit et optimas lectiones praebeat non absonum est. Quotquot nostris temporibus in poetis elegiacis graecis studia collocaverunt, in eo conveniunt, Mutinensem librum, a Bekkero A. littera nominatum, longe praestantissimum esse in formando textu, quem ad modum grammatici loqui solent. Quem insigni scripturae et elegantia et antiquitate excellere Bekkerus dicit. Unus tantum Otto Schneiderus huius libri auctoritatem impugnare ausus est, quem ille, iudicium ferens de Schneidewini delectu simulque nonnulla huius materiae momenta attingens, in diario antiq. a. 1838. p. 933. sqq. graviter foedatum esse interpolationibus contendit. Neque Bergkius verum plane perspexit, qui in dissertatione de crisi Theognidea, museo rhenano Welckeri Rischeliique (vol. 5.) inserta disputationis summam (p. 207.) his verbis complectitur: „auf einer solchen recension eines grammatikers beruht aber ganz sicher der text, welchen der cod. A. darbietet.“ Omnis ceteri codices potius quam Mutinensis grammatici manum redolent, qui ab homine diligenti magis quam prudenti ex antiquiore libro descriptus est. Antiquas autem et genuinas eius lectiones postea depravatas esse tribus iam exemplis, quibus addi possunt sexcenta alia, satis comprobatur. Et v. 102 quidem plerique libri habent: τί δ'ἔστ' ὄφελος κεῖνος ἀνὴρ φίλος ὤν;“ quod adeo languet, ut tolerari nequeat. Unus Marcianus codex (S.), qui inter deteriores numeratur, 'κακός' habet, quod adiectivum metro respuit, licet sensui satisfaciat. Simile autem aliquid requiritur; nam „in gnomicis sententiarum oppositio magnum critico subsidium est“, sicut Schowius in Stobaeum p. 227 iure monuit. In codice K. legitur: 'γ'ὅτταν', quod omni sensu caret: multo melius iudicium monstravit qui codicem O. scripsit, qui liber totiens cum K. convenit, ut dubitari nequeat, quin ex eodem codice uterque descriptus sit: spacium vacuum in codice O. relictum est, quo archetypi verba non legi potuisse comprobatur. Coniectura igitur nova opus

esset, nisi Mutinensis liber 'δειλός' praeberet, quae lectio et sensui et metro favet. Ceteri libri non ex Mutinensi vel eius apographo descripti sunt, sed ex alio libro, qui eundem quem Mutinensis fontem habuisse censendus est Simillimam in plerisque codicibus corruptelam v. 163 passus est, ubi A. 'δειλῷ', habet, K. et O. contra metri leges 'κακῷ', libri ceteri 'φαύλῳ', quod vocabulum fortasse non ante Aeschyli tempus invenitur: certe usus huius vocabuli circa bellum Peloponnesiacum demum latius propagabatur: neque optime sensus huius vocabuli convenit loco nostro, cui 'δειλῷ' propter oppositionem potissimum et ob v. 161 multo aptius est. V. 175 unus Mutinensis 'βαθυκήτεα πόντον' habet quod adiectivum hic tantum legitur; formatum est ad similitudinem vocis Homericae 'μεγακήτης', primaria vocabuli significatione dudum oblitterata, quod adiectivum magis usitatum ceteri libri habent: at forma insolentior satis firmatur Luciani codicibus, qui saepius hoc versu utitur: neque raris formis vulgatas expellere consueverunt illi grammatici, qui potius rariores formas et rariora vocabula removerunt. Vix opus videtur ut commoneam, Mutinensem ex archetypo litteris quadratis scripto derivatum videri, quem ad modum ex corruptelis interdum apparet, ut v. 352. 400. 593. 765 1049. 1166. Mutinensis igitur libri auctoritas prae ceteris respicienda est, cum et antiquior sit illis et ex libro antiquiore descriptus, unde ceteri per rivulos demum complures deducti sunt. Unius autem ex aliis libris bonae lectiones non magis aestimandae sunt, quam egregiae nostratium coniecturae.

Codex Mutinensis, ut disputatio unde profecta est, revertatur, non 1390 sed 1420 versus continet. At neque hunc numerum integerrimum esse, compluribus evincitur rationibus. Disticha enim nonnulla iterata sunt, quorum tria tantum A. solus habet, tria in omnes aeque codices pervenerunt; quindecim disticha in A. atque in ceterorum librorum parte leguntur, quae omnia editores omittunt; his adnumeranda sunt, quae, cum in omnibus aeque libris legerentur, ab editoribus in textu posita sunt Qui librarii illa disticha temere repetita censerent, suo Marte omiserunt. Nonnulli etiam versus, qui in Mutinensi non leguntur, ab aliis auctoribus servati sunt. Sic Elias Vinetus

ex Athenaeo et Stobaeo quinque disticha Theognideis adiunxit, errore autem extremum huc relatum est. Apud Stobaeum enim 1, 11 legitur: „Μενάνδρου Ναννοῦς· 'ἀληθείη δὲ παρέστω
σοὶ καὶ ἐμοὶ, πάντων χρῆμα δικαιότατον.'"
ubi cum mutatio Μιμνέρμου satis in promptu atque necessaria sit, quo quis pacto Theognideis hoc distichon inserere potuerit et qua ratione error per omnes aeque praeter Welckeri editiones propagatus sit, equidem nescio. Tum v. 1157. 1158 Adrianus Turnebus e Stobaeo 91, 26 desumpsit, ubi coniuncti leguntur cum disticho insequenti, quod Theognidis codices quoque exhibent: at utrumque coniungendum est, cum priore avulso alterum omni sensu careat. Versus autem, qui desiderantur ante v. 383 nemo subministrat, ubi uno saltem disticho malorum hominum rationes poetae describendae erant, id quod re vera eum fecisse prima versiculi verba: „ἔμπης δ' ὄλβον ἔχουσιν ἀπήμονα" demonstrant. Quaenam praecesserit sententia, neminem latere potest.

Itaque priusquam Mutinensis liber describeretur, vel certe Stobaei et Athenaei tempore plures versus pro Theognideis habitos esse, quam nunc feruntur, satis manifestum esse puto. Quare nihil obstat, quominus arbitremur, Suidam non cognovisse alium Theognidem, atque nos legimus, sed nostro fortasse ampliorem; numerus vero, quem ille habet, ex antiquioris grammatici opere desumptus esse potest.

Cum nihil fere lucremur ex Suidae verbis, alia antiquorum auctorum testimonia adeunda sunt, quae pretii cuiusdam videntur. Et Stobaeus quidem multos Theognidis versus affert, unde fortasse quaedam cognitu non inutilia elici possunt. Uberius nostris eius exemplar fuisse iam de Suidae testimoniis disputans commemoravi. Sed fuisse eius collectionem non plane dissimilem nostrae, inde apparet, quod versus quosdam, quorum auctorem alioqui Solonem nominatum invenerat, inter Theognideos legit, quos et Solonis et Theognidis nomine in florilegium rettulit. Cognoveritne Stobaeus carmina amatoria in Mutinensi solo servata, quae Suidam respexisse suspicati sumus, in incerto est, cum nullum eorum versuum laudet; at non opus fuit, ut hos versus, quorum pars longe maxima ab eius propo-

sito prorsus aliena esset, laudaret, quare hinc certi quidquam colligi nequit. Etsi Mutinensi antiquius fuit exemplar, quo Stobaeus usus est, melius non fuit eo, cuius nos vestigia in Mutinensi habemus, quem ad modum inde efficitur, quod nusquam vel raro lectiones meliores affert, quam quas Mutinensis exhibet. Coniecturis autem, quae interdum probandae sunt, aut ipse, aut alter iam quem exscripsit compilator aut librarius denique saepius grassatus est, multaque, quae abrupta et inconcinna videbantur, removere studuit. Quae omnia fere a Bergkio iam mus. rhen. 3. p. 396 seq. satis accurate exposita sunt. Welckeri autem opinio, qui prolegomenon p. CX scripsit: „Stobaeus an vel integro vel certe non interpolato Theognide usus fuerit, dubium est“ paullo timidior videtur. Cyrillus deinde nominandus est, qui Theognidem comparans cum Phocylide hos poetas scripsisse dicit „χρηστομαθῆ, ψιλὰ καὶ κεκομψευμένα, ὁποῖά περ ἂν καὶ τίτθαι κορίοις καὶ μὴν καὶ παιδαγωγοὶ φαῖεν ἂν νουθετοῦντες τὰ μειράκια.“ (c. Iulian. 7. p. 224 ed. Spanh.) Iulianus etiam Theognidis, Phocylidis, Isocratis sententias longe se praeferre proverbiorum libro Salomonis profitetur. Quae conveniunt omnia probe cum farragine nostra; sed Cyrillus carmina amatoria, quae Mutinensis servavit, non Theognidis nomine cognovit, qui, ut verbis utar Welckeri, rem acuratissime perspicientis, quae prolegomenon p. LXXIII leguntur: „Theognidi, si obscoena aderant carmina, amoris infamiam profecto obiecturus fuisset.“ Qualia carmina Athenaeus Theognidis nomine cognoverit, cum perraro eius versus laudet, non perspicitur. Unum paulo accuratius animadvertendum censeo locum, 7. p. 310 a: „περὶ τούτων φησὶν Ἀρχέστρατος ὁ τῶν ὀψοφάγων Ἡσίοδος καὶ Θέογνις· ἦν δὲ καὶ ὁ Θέογνις περὶ ἡδυπάθειαν, ὡς αὐτὸς περὶ αὑτοῦ φησι διὰ τούτων· τῆμος δ’ἠέλιος κ. τ. λ.“ (v. 997). Unde fortasse Athenaeus carmina praeceptiva tantum ante oculos habuisse videtur. Quae suspitio augetur etiam, si Plutarchi testimonium de Theognide comparamus de aud. poet. 2: „τὰ δ’Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ Παρμενίδου, καὶ θηριακὰ Νικάνδρου, καὶ γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς, ὥσπερ ὄχημα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.“ Neque prosus a veritate Plutarchi iudicium recedit; nam re vera omni fere cultu poetico destituta sunt praecepta,

quamquam nonnulla interdum vigore et poetico sermonis colore excellunt. Gnomologiae nomine collectionem nostram a Suida iam appellatam fuisse vidimus; nihil enim refert, numerus pluralis an singularis adhibeatur. Quare non dubito, quin Plutarchus quoque non integra Theognidis carmina, sed sententiarum tantum collectionem hinc exerptam versaverit, unde veri simile fit, Athenaei tempore collectionem talem cognitam fuisse. Quodsi Bergkius l. c. p. 227 Athenaeum nostra usum esse collectione suspicatur, si uberiorem hanc nostra fuisse largiatur, non invitus assentior. Sed neque eum carmina amatoria Theognidi tribuisse contenderim; perversissimi enim ingenii homo fuisset, si hos versus non Theognidi opprobrio vertisset, 7. p. 310 a: scribens: „οὐδὲ τὸ παιδεραστεῖν ἀπαναίνεται ὁ σοφὸς οὗτος.“ Sed v. 993 —996 qui non lascivissimi habendi sunt, pro argumento affert. Quae de Plutarcho et Athenaeo dixi, eadem fere de Dione Chrysostomo valent, qui Theognidis carmina, quibus adiungit Phocylidis, vulgi institutioni apta esse censet. Scribit in altera, quae de regis officio agit, oratione §. 3. haec: „ὅτι δοκεῖ μοι, ὦ πάτερ, οὐ πᾶσα ποίησις βασιλεῖ πρέπειν, ὥςπερ οὐδὲ στολή· τὰ μὲν οὖν ἄλλα ποιήματα ἔγωγε ἡγοῦμαι τὰ μὲν συμποτικά, τὰ δὲ ἐρωτικά, τὰ δὲ ἐγκώμια ἀθλητῶν τε καὶ ἵππων νικώντων, τὰ δ’ἐπὶ τοῖς τεθνεῶσι θρήνους, τὰ δὲ γέλωτος ἕνεκεν ἢ λοιδορίας πεποιημένα, ὥσπερ τὰ τῶν κωμῳδιοδιδασκάλων καὶ τὰ τοῦ Παρίου ποιητοῦ. Ἴσως δέ τινα αὐτῶν καὶ δημοτικὰ λέγοιτ’ ἂν συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις, καθάπερ οἶμαι τὰ Φωκυλίδου καὶ Θεόγνιδος· ἀφ’ ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος;“ Sententias Theognidis nomine inscriptas imprimis respectas fuisse apparet, sed non patet, quomodo sententiae illae dispositae neque cuius generis fuerint. Antiquiores nonnulli auctores restant, quorum testimonia examinemus; inter quos Aristotelem primum nominandum censeo, qui Theognidis sententias interdum laudat; suspicari possumus, non cognovisse eum collectionem, in quam aliorum etiam auctorum versus relati erant. Nam distichon, quod nunc inter Theognidea legitur, v. 255. 256:

„κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ’ὑγιαίνειν,
πρᾶγμα δὲ τερπνότατον, τοῦ τις ἐρᾶ το τυχεῖν.“

Aristoteles, eth. Nicom. 1, 8 ‘Δηλιακὸν ἐπίγραμμα’ nominat. Qui

versus cum unam atque integram contineant sententiam neque ex maiore carmine excerpti videantur, propter Aristotelis auctoritatem Theognidi abiudicandi sunt; in ethicis enim nonnunquam versus Theognidis laudantur, ita ut auctor hunc poetam optime cognovisse putandus sit Quodsi ex Theognidis demum carminibus epigramma in insula Delo, in templo procul dubio, inscriptum esset, non dubito, quin Aristoteles poetae nomine usus fuerit. Stobaeus autem huius distichi auctorem Theognidem nominat, unde alia cum collectione usum esse in aperto est. Quodsi non ipsum Aristotelem ethicorum auctorem esse arbitramur (nam in ethicis ad Eudemum I, 1 quoque epigramma istud Deliacum legitur), eius tamen tempore nonnullos versus non pro Theognideis habitos esse contendere possumus, qui postea eis adnumerabantur. Isocrates carmina Hesiodi, Phocylidis, Theognidis componit, quos poetas optimos vitae hominum praeceptores nominat, imprimisque gnomas eorum carminibus intextas vitae regendae idoneas esse censet. Scribit ille ad Nicoclem 4: „σημεῖον δ' ἄν τις ποιήσαιτο τὴν Ἡσιόδου καὶ Θεόγνιδος καὶ Φωκυλίδου ποίησιν· καὶ γὰρ τούτους φασὶ μὲν ἀρίστους γεγενῆσθαι συμβούλους τῷ βίῳ τῷ τῶν ἀνθρώπων“ unde Isocrates integras vel nondum excerpendo mutilatas Theognidis elegias cognovisse videtur. Antisthenes, Socratis discipulus, de virtute quinque libros scripsit, quorum tres priores ‘προτρεπτικοὺς περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας’ inscripsit, duo postremos vero ‘περὶ Θεόγνιδος’, sicut Diogenes Laertius 6, 16 testatur. Propter universi operis titulum iam colligere possumus, cum praecepta moralia atque politica, quibus apud antiquos imprimis multae rationes cum moralibus communes sunt, illo opere tractavisse et quaenam eius sententia de Theognidis praeceptis esset, potius exposuisse, quam de omnibus carminibus atque de poetae rebus commentarium instituisse. Nam eius nihil interesse potuit, quid praeter sententias Theognis condiderit. Alterum etiam Socratis discipulum, Xenophontem Stobaeus 88, 14 de Theognide commentatum esse dicit. Titulus enim, qui legitur: ‘Ξενοφῶντος ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος’ ad integrum commentarium, qualem fere Antisthenes instituit, non ad commemorationem quandam versus cuiusdam referri debet. Locus etiam,

quem Stobaeus transscripsit, de commentario intellegendus est. Qui Xenophontis Atheniensis liber vel libellus nusquam praeterea nominatur, quare dubitari possit, an non alius quidam Xenophon temporis serioris designetur; fuerunt enim duo huius nominis Athenienses, qui cum Socratis discipulo Xenophonte confundi potuerunt, quorum alter Epaminondae et Pelopidae, alter Hannibalis vitam conscripsit. Sed cum Antisthenes etiam Socratis discipulus de Theognide scripserit, atque summus Plato non raro eius versibus utatur, quos ipse Xenophon quoque probe cognovit, ego equidem non dubito, quin historicus ille Xenophon librum vel libellum vel commentarium ‘περὶ Θεόγνιδος’ scripserit, quo elegias interpretatus est, vel rationes ethicas, propter quas Antisthenes quoque Theognidis elegias tractavit, exposuit. Aliam difficultatis expediendae viam Bergkius tentavit, qui, poet. lyr. gr. p. 393, olim sic apud Stobaeum scriptum fuisse suspicatur: ‘Ξενοφῶντος .... Ἀντισθένους ἐκ τοῦ περὶ Θεόγνιδος’, ut Antisthenis locus, auctoris nomine amisso, servatus, Xenophontis locus perditus sit. At nimis lubrica tota eius disputatio est. Xenophon Theognidis carmina cognovit, quae, si ipsius verba sequimur, de hominum virtute et vitiis tantum agebant, humanaeque indolis speculum praebebant. In nostra autem farragine omnis generis versus interpositi leguntur, quamquam praecipua quidem pars illam materiam complectitur. Sed haec Xenophontis verba non nimis urgenda esse scio; alia enim re longe diversam esse nostri Theognideorum corporis conditionem ab illa, quam Xenophon cognovisse videtur, unusqusique statim perspiciet. Ordinem illum prorsus alium observasse, atque nos habemus, ex hisce verbis apparet: — totum enim locum describendum non curavi, quippe qui iusto amplior sit — „ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν· ἄρχεται γὰρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι· ᾤετο γὰρ οὔτε ἄνθρωπον οὔτε τῶν ἄλλων οὐδὲν ἂν ἀγαθὸν εἶναι, εἰ μὴ τὰ γεννήσοντα ἀγαθὰ εἴη. ἔδοξεν οὖν αὐτῷ ἄλλοις ζῴοις χρήσασθαι, ὅσα μὴ εἰκῇ τρέφεται, ἀλλὰ μετὰ τέχνης ἕκαστα θεραπεύεται, ὅπως γενναιότατα ἔσονται. δηλοῖ δ' ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν· κρίους μὲν κ. τ. λ.“ Pro exemplo v. 183—190 laudat, unde plerique hos versus olim in Theognideorum collectione primos fuisse putarunt, quam opinionem non satis confirmatam esse abitror, cum non

certo ex eis, quae apud Stobaeum leguntur, verbis consequatur, collectionis cuiusdam primos eos versus fuisse. Satis autem dilucide apparere puto, Xenophontem non usum esse collectione Theognideorum, qualem nos habemus, sed cognovisse eum integras elegias. Hinc iam Platonem quoque integra Theognidis carmina cognovisse suspicari licet: alia quoque accedunt, quibus idem evincitur. Cui sententiae confirmandae optime Menonis locus p. 95. d. e. inservit, ubi Plato affert nonnulla disticha, quae nunc v. 33—36 leguntur, quibus alia subiungit, quae v. 436—438 exstant, scribens: „ἐν ἄλλοις δέ γε ὀλίγον μεταβάς“. Quibus verbis certe uti non potuit, si quadringenti fere versus interiecti fuerunt; sed elegias, unde istos versus desumpsit, non longo intervallo separatas fuisse sequitur. Ex eodem loco nonnulli viri docti, quorum ordinem Scheidewinus ducit, cuius opinionem omnes fere deinceps suam fecerunt, sibi persuaserunt, „condidisse Theognidem praeter elegias heroici etiam metri carmina, ut Xenophanes fecit aliique,“ quibus verbis ipse Schneidewinus usus est. Socratem enim Plato ad Theognidis carmina provocantem facit eumque interrogantem Menonem: „ἐν ποίοις ἔπεσιν;“ cui Socrates respondet: „ἐν τοῖς ἐλεγείοις.“ Quam coniecturam quo iure ceperint intellegere nequeo, cum non ea sit oppositio inter ἔπη et ἐλεγεῖα, quam Schneidewinus arbitratur: ἔπη potius non diversa sunt ab ἐλεγείοις. Non opus est, ut quaecunque iam de vocabulis istis conscripta sunt, proferam: commonuisse sufficiat, „ἐν ποίοις ἔπεσιν;“ nihil sibi velle, nisi: „ubi?“ et ‘ἔπη’ esse in universum omnis generis versus, non heroici tantum carminis hexametros, ipsumque Theognidem versus elegiacos interdum ἔπη nominare.

Plato igitur, quo antiquiorem testem non habemus, elegias integras cognovit, neque collectio, quae nobis obversatur, Platoni, Xenophonti, Antistheni, Isocrati, Aristoteli cognita erat. Quapropter ipse Theognis huiusmodi collectionem non instituisse censendus est.

Non hinc igitur inditum est nomen collectioni, quod Theognis eam instituit, sed quod Theognidis poetae versus esse ferebantur; verum aliorum etiam poetarum versus eius nomine leguntur. Quare ante omnia quaestio movenda est, qua ratione ex integris Theognidis elegiis confusa talis atque male disposita collectio oriri potuerit.

Etsi omnes versus pro Theognideis habemus, neque ullum alius auctoris interpositum esse arbitramur, primo statim obtutu evincitur, poetam, quem ad modum etiam elegiacae Graecorum poesis natura ferebat, pro temporum rationibus carmina condidisse. Nonnulla enim quo tempore scripta sunt, statim edita esse debent. Pro exemplo duo tantum disticha, v. 1043 seq. et v. 1081 seq., in quos primos oculorum acies inciderat, laudo. Neque minime urgendum est Suidae testimonium de Theognidis elegia in servatos Syracusarum cives conscripta, cum fragmentis ipsis non summa fides sit. Neque quoscunque cognovimus. Graecorum poetae elegiaci antiquiores continuam elegiarum collectionem ediderunt, sed prout temporis rationes postulare videbantur versus aut in vulgus emiserunt, aut amicis tradiderunt. Quare Dunckerus, veri particulam assecutus, sed in universum elegantius quam rectius de elegia scribit (geschichte des altert. vol. 4. p. 175): „es war die form der politischen broschüre jener tage.“ Exemplum prae ceteris notum Solonis carmen elegiacum centum versuum est, „Salamis“ nominatum, quod Solo ipse ex praeconis suggestu recitavit: nam Diogeni Laertio fides non debetur narranti 1, 46, per praeconem Solonem istud carmen recitasse (ἀνέγνω διὰ τοῦ κήρυκος), quae narratio fortasse ex ipsius carminis initio profluxit, quod Plutarchus vit. Solon. c. 8 servavit:

„Αὐτὸς κήρυξ ἦλθον ἀφ' ἱμερτῆς Σαλαμῖνος,
κόσμον ἐπέων ᾠδὴν ἀντ' ἀγορῆς θέμενος.“

Ipsos igitur poetas elegiacos carmina sua interdum recitasse et hoc Solonis exemplo et eis, quae de Xenophane Colophonio tradita sunt, confirmatur. Neque Theognidis tempore hunc morem prorsus delituisse Athenaei evincitur loco, qui Chamaeleontis usus auctoritate 14, p. 630 c. „μελῳδηθῆναι“ scribit „οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ καὶ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου.“ Quae nomina inter se coniuncta Phocy-

lidis etiam versus a rhapsodis decantatos esse comprobant; quem Theognidis aequalem fuisse notum est. Postea quoque morem illum valuisse constat, cum et Choerili Samii carmina a rhapsodis recitata fuisse sciamus et memoriae proditum sit, Antimachum Colophonium non iam in publico Thebaidem recitasse, sed auditorium sibi privatum exstruxisse.

Theognidis elegiae quoque fortasse recitatae sunt; ipse quidem poeta tibiis accinentibus decantatas esse his versibus (237—243) declarat:

„Σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ᾽ ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ᾽ ἀπείρονα πόντον
πωτήσῃ, κατὰ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος
ῥηϊδίως· θοίνῃς δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν.
καί σε σὺν αὐλίσκοισι λιγυφθόγγοις νέοι ἄνδρες
εὐκόσμως ἐρατοὶ καλά τε καὶ λιγέα
ᾄσονται.“

siquidem Theognidis isti versus sunt. Sed nihil fere certi de eius carminibus cognitum habemus; illud tantum nomina propria, quae saepissime et in farragine nostra et in versibus ab antiquis auctoribus Theognidis nomine laudatis occurrunt, comprobant, fuisse carmina ad complures amicos scripta, inter quos Cyrnum primo loco nominandum arbitror. Quae carmina non uno tempore edita et multifariam dispersa esse putare debemus, quare ab ipso poeta vix in unum corpus postea contracta et vulgata sunt, cum legendi studium nondum tantum esset, ut libri venditarentur. Quapropter eorum sententia improbari debet, qui v. 19—26 in fine elegiarum vel eclogarum, ut Schneidewinus scribit, ab ipso poeta positos fuisse arbitrantur: in unius elegiae fine potius collocati videntur. Theognidis aetate fere Pisistratidae Homeri, Orphei, Musaei, quae ferebantur carmina colligenda, describenda, perpolienda, augenda curaverunt; at non id egerunt tyranni, ut legendi cupidis materiam praeberent, sed ut splendorem augerent speciе liberalitatis. Ipse igitur poeta carminum collectionem non instituit, cum huius facti nullam rationem habuerit; neque nos, quae temporis indoli contraria sunt coniecturis efficere fas est. Vix autem dubitare licet, quin poetae amici, quibus carmina missa erant, diligentissime asservaverint ea, atque defuncto poeta factum esse potest, ut quidam in memoriam et honorem amici mortui aut omnia, aut nonnulla tantum carmina, quae nancisci potuit, colligeret, qui non sententias ex elegiis in unum conscripsisse, sed elegias integras collegisse censendus est. Etsi non absonum videtur, Cyrnum, quem totiens poeta alloquitur, quaedam habuisse et edidisse, tamen neque comprobari neque contendi potest. Quamquam quae scripsi de Theognide in universum de huius aetatis poetis lyricis et imprimis de elegiacis valere videntur et valere debent, unum tantum proferre possum exemplum, unde certiora erui possunt. Inter Solonis enim, quem pro temporis rationibus carmina elegiaca condidisse compertum habemus, fragmenta unum invenitur distichon ad Critiam Dropidae filium conscriptum, quem Dropidem summa familiaritate cum Solone coniunctum fuisse Platonis, Plutarchi, Aristotelis, qui rhetor. I, 15. fragmentum istud servavit, auctoritate declaratur; Platonis testimonio in familia Critiae Solonis carminum memoriam servatam fuisse constat. Ipse Plato, qui cum Charmide et Critia affinitate coniunctus erat, hinc Solonis carmina cognovisse videtur. Similiter rem sese habuisse cum aliorum poetarum carminibus probabile est. Ut illustrissimos nominem poetas lyricos, qui non multum a Theognidis aetate afuerunt, suspicari licet, Pindarum, Simonidem, alios, quorum carmina per Graeciae et Siciliae regiones dispersa erant, non ipsos carmina collegisse; Aristophanem Byzantium demum Pindari carmina septendecim libris disposuisse notum est; quo non opus fuisset, si ipse poeta carmina in unum collecta et ordinata edidisset. Aliud etiam exemplum temporis paullo serioris addere mihi liceat. Antimachum enim Colophonium, qui Thebaide et Lyde haud exiguam sibi gloriam comparaverat, summus Plato tanti aestimavit, ut Heraclidem Ponticum Antimachi carmina dispersa colligere iuberet. Quam rem ipse Heraclides memoriae prodidit apud Proclum, qui in Timaeum Platonis p. 28. c. (p. 64. ed. Schneider.) scribit: „εἴπερ γάρ τις ἄλλος καὶ ποιητῶν ἄριστος κριτὴς ὁ Πλάτων, ὡς καὶ Λογγῖνος συνίστησιν· Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικός φησιν, ὅτι τῶν Χοιρίλου τότε εὐδοκιμούντων Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησε καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός.“

Quibus exemplis satis puto comprobatum esse, non omnino a veritate recedere, Theognidis carmina compluribus amicis missa mortuo demum auctore aut omnia aut non integra collecta esse. Elegiarum autem Theognidis integrarum collectionem non iam habemus, sed partes tantum inde excerptas. Procul dubio elegiae sententiarum moralium, quae γνῶμαι a Graecis vocitabantur, haud exiguam copiam continebant. Nullum fere poesis genus ab huiusmodi sententiis liberum videmus; non admodum paucas Homericis iam carminibus intextas invenimus; plerasque Hesiodi carmen „ἔργα καὶ ἡμέραι“ inscriptum complectitur. Hesiodum hanc ob causam poesis praeceptivae vel gnomicae patrem arbitrabantur, quare nonnulla huius generis, quae antiquissima videbantur, Hesiodo tribui solebant. Poetae elegiaci antiquissimi iam carminibus cives suos adhortati sunt, quem ad modum fecit Callinus et Tyrtaeus; neque Mimnermum a sapientiae et bene beateque vivendi praeceptis abstinuisse iam dixi. Aetate septem sapientium rationes ethicae imprimis floruerunt; quae postea non neglegebantur, sed fuerunt, qui hanc partem diligentissime colerent, quorum in numero Phocylides Milesius potissimum habendus est. Licet eius fragmentis plurima desint, quominus veri poetae nomine dignus sit, tamen per totam antiquitatem gloria eius tanta fuit, ut saeculo primo vel altero post Christum natum ab homine Iudaeo aut Christiano „ποίημα νουθετικόν,“ cuius versus undique collecti fortasse plerosque Phocylideorum continent, componeretur, ubi in initio nominatur „Φωκυλίδης ἀνδρῶν ὁ σοφώτατος.“ Phocylidis etiam aequalis, Theognis Megarensis, hanc rationem persecutus est. Etenim, quamquam totam collectionem dubitationibus plerisque obnoxiam esse scimus, neque exploratum iam habemus, quid re vera Theognidi Megarensi tribui possit, tamen dubium videri non potest, quin ei versus ab ipso sint conscripti, qui poetae nomen in fronte positum habeant. Qui versus sunt 19—26: ubi praeter auctoris nomen duo alia inveniuntur, Cyrni atque Polypaidae, quorum utrumque saepius et in collectione nostra occurrit et apud auctores, qui Theognidis versus laudant. Non autem diversa sunt nomina, sed Cyrnus idem est qui Polypaides, cum Polypaides patronymicon sit, quod vocant grammatici, non

nomen proprium. Nam, etsi versibus compluribus interiectis nomina illa disiuncta sunt, tamen sententiarum conexus prohibet, quominus in duas partes versus isti divellantur. Quam rationem qui inter nostri temporis homines nihilominus secuti sunt, Bekkerus consulto corruptam lectionem esse contendit, „quo minus fragmenta duo coaluisse pateret,“ Welckerus a Theognide duas gnomologias profectas esse sibi persuasit. Sed v. 23 lectio codicis Mutinensis, quocum duo praeterea libri maxime egregii faciunt, ‘ὀνομαστός’, cum nihil offensionis praebeat, retinenda est; Ahrensii deinde coniectura, si hoc nomine vocanda est, v. 24 ‘δή’ legendum esse pro ‘δ’’ optime explanat, qui sit sententiae ordo. Welckerus eo commotus, quod vix antiqui poetae eodem carmine duos homines alloquerentur „eo recurrimus,“ prolegomenon p. CI. scribit „ut alteram Theognidis gnomologiam, qua affatus esset Polypaedam, argumenti quam maxime similis exstitisse ponamus.“ Quo, licet antea Suidae verba aliter interpretatus sit, referenda esse arbitratur, quae apud Suidam leguntur: „καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς.“ Multa miranda restare ipse confitetur. Camerarius, Sylburgius, alii, duos homines esse Cyrnum et Polypaidem arbitrati sunt, quos poeta eodem carmine alloqueretur; cuius rationis difficultates Scaligerus iam advertit, ipseque Welckerus hanc opinionem egregie refellit. Primus quantum scio I. A. Fabricius Polypaidae nomen patronymicum esse contendit; sed multo iam antiquior haec sententia est. Codex enim Parisinus 2891, a Bekkero littera H. designatus, hanc habet inscriptionem: „Θεόγνιδος Μεγαρέως γνωμολογία πρὸς Κύρνον Πολυπαΐδην τὸν ἐρώμενον“, cui auctoritas quidem non magna tribuenda est, attamen probandum librarii iudicium; nam cum solus hic codex eam habeat inscriptionem, neque ipse a ceterorum librorum grege distet, suo Marte librarius hanc inscriptionem in fronte collocasse censendus est. Quam sententiam non minime confirmarunt quaedam in re metrica poetarum Graecorum a Petro Elmsleio observata, qui non posse in quarta hexametri sede spondeum tolerari, si vocalis in diaeresi cum vocali conveniat, sagaciter perspexit. Quare nomen quinque syllabarum ex quattuor syllabis, sicut antea ferebatur, effecit, cui praecepto omnes obsecuti sunt praeter unum Welckerum. Patronymicum autem propterea non

coniungitur cum nomine proprio, quod molesta et otiosa duorum nominum inter se coniunctorum repetitio est; neque unum tantum nomen continuo usurpatur, quoniam haec repetitio molestior etiam est. Tum Welckerus v. 53—60 proprio Marte divisit, quamquam sensus iam eum prohibere debuit. Duo enim disticha priora protasin tantum continent, cuius apodosin iustam extrema complectuntur. Quapropter Bergkius laudandus est, quod interpunctionem a Bekkero non satis recte administratam mutavit. Etiam v. 183—192, quamquam in libris non coniuncti leguntur, ad eandem elegiam pertinere videntur, quare Brunckius, et qui illum summo iure sequitur, Bergkius hos versus inter se coniunxerunt. Xenophontis enim verba apud Stobaeum 88, 14: „κᾆτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι“ nonnisi ad v. 191, 192:

„οὕτω μὴ θαύμαζε, γένος, Πολυπαΐδη, ἀστῶν
μαυροῦσθαι· σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς.“

referri possunt, qui casu fortasse in Stobaei codicibus omissi sunt. Omnia igitur opinioni a Fabricio aliisque prolatae patrocinantur. Itaque sine dubio Theognidi Megarensi omnes fere versus tribuendi sunt, in quibus aut Cyrni aut Polypaidae nomen legitur: non omnes dico, quoniam Cyrni nomen in versibus spuriis quoque usurpatum est, atque saepius fortasse usurpatum, quam nos conicere possumus. V. 1355. 1356 enim, qui inter versus amatorios leguntur, aperte conflati sunt ex versibus, qui in Theognideis alio loco exstant, unde Cyrni quoque nomen illatum est; id quod postea uberius persequendum censeo. Polypaidae quoque nomen adhibitum esse in versibus, quos non Theognis ipse condidit, ex Hesychii verbis iam apparet, qui v. Πολυπαΐδης haec habet: „παρῴδηται ἐκ τῶν Θεόγνιδος· βόμβον ἐπαινήσω,“ ubi sine dubio subsequebatur: „Πολυπαΐδη.“ Quamquam haec parodia non iam invenitur.

Apparet igitur, re vera Theognidis poesin praeceptivam fuisse, cum ipse poeta hoc carminum genus versibus ad Cyrnum scriptis denotet. Illi statim versus, qui poetae nomen in fronte habent, occurrunt. Elegia materiae consimilis versus, qui hos statim insequuntur, complectebatur:

„σοὶ δ'ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτὸς
Κύρν', ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.“

ubi verbum iam ὑποθήσομαι nominis usitati horum praeceptorum nos commonet. De praeceptis moralibus igitur potius quam politicis cogitare debemus, quem ad modum etiam v. 1049 seq.:

„σοὶ δ'ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτὸς
ἐσθλά· σὺ δ'ἐν θυμῷ καὶ φρεσὶ ταῦτα βάλευ.“

iubet, ubi „δ'ἐγὼ“ legendum esse ex codicis Mutinensis lectione (δε τω) mihi apparere videtur. Itaque satis comprobatum esse arbitror, cum paucis, quae supersunt, vestigiis, tum aetatis, qua noster poeta vixit, more, non exiguam partem praeceptorum, i. e. gnomarum, Theognidis elegias continuisse. Plato Athenis haud exiguo in honore fuisse Theognidem demonstrat, qui in libro de legibus 1 p. 630 a. Theognidem ut Atticum poetam Tyrtaeo, qui Lacedaemonius poeta vocatur, opponit. Isocratis etiam testimonio evincitur, Theognidis pariter atque Phocylidis et Hesiodi poesin imprimis claram fuisse. Quare cum sciamus, Athenienses, qui Homeri carmina in scholis pueros edocerent, Hesiodi quoque et aliorum huius generis poetarum carmina ad informandos puerorum animos adhibuisse, inter quos Solonem quoque fuisse non est, cur non credamus, errare nobis non videmur, Theognidis etiam elegias in Atheniensium scholis usurpatas esse putantes. Cuius rei vestigia alia quoque nonnulla apparent, quo imprimis rettulerim sententiam a Plutarcho de princ. phil. p. 777 c. commemoratam: „ οὐτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι,“ quae summo iure poetae comico tribuitur, inter quorum fragmenta legitur apud Meinekium, vol. 5. a. p. 122. Gnomae autem tum fere ex integris carminibus eligebantur, et quae in usum puerorum aptiores erant, uno libello cogebantur; quos libellos re vera institutos esse Platonis auctoritate comprobatur. Fuisse enim, qui non omnia poetarum carmina, sed partes tantum selectas pueris tradi debere censerent, ille testatur de legibus 8. p. 810 e. scribens: „λέγω μὴν ὅτι ποιηταί τε ἡμῖν εἰσί τινες ἐπῶν ἑξαμέτρων πάμπολλοι, καὶ τριμέτρων καὶ πάντων δὴ τῶν λεγομένων μέτρων, οἱ μὲν ἐπὶ σπουδήν, οἱ δ'ἐπὶ γέλωτα ὡρμηκότες. ἐν οἷς φασι δεῖν οἱ πολλάκις μύριοι τοὺς ὀρθῶς παιδευομένους τῶν νέων τρέφειν καὶ διακορεῖς ποιεῖν, πολυηκόους τ'ἐν ταῖς ἀναγνώσεσι ποιοῦντας καὶ πολυμαθεῖς, ὅλους ποιητὰς ἐκμανθάνοντας· οἱ δὲ ἐκ πάντων κεφάλαια ἐκλέξαντες καί τινας ὅλας ῥήσεις εἰς ταὐτὸ ξυναγαγόντες ἐκμανθάνειν φασὶ δεῖν εἰς μνήμην τιθε-

μένους, εἰ μέλλει τις ἀγαθὸς ἡμῖν καὶ σοφὸς ἐκ πολυπειρίας καὶ πολυμαθίας γενέσθαι.“ Praecepta bene vivendi potissimum Plato respicit sicut Isocrates quoque qui quod l. c.: „ἔτι δ' εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν . . . τὰς καλουμένας γνώμας“ scribit, de praeceptorum collectione tantum intellegi potest. Eodem fere tempore Socratis discipuli, quorum philosophandi ratio morales imprimis partes sectabatur, de Theognidis carminibus commentarios scripserunt, qui fortasse non minime effecerunt, ut ex eius elegiis sententiae excerperentur, quas in puerorum libellos quoque relatas esse veri simillimum est.

Poetarum, qui gnomici interdum propter praecepta carminibus intexta vocantur, longe celeberimi fuerunt Hesiodus, qui versu heroico usus erat, et Phocylides atque Theognis, quorum disticha imprimis clara erant: quorum poetarum sententiae, cum per se iam veri simile sit, duorum vel plurium etiam poetarum praecepta uno libello coacta esse, antiquo iam tempore coaluisse videntur: id quod Theophrasti et Aristotelis aetate factum esse affirmaverim. Aristoteles enim versum, qui nunc inter Theognideos 147 est, affert ut proverbium, ethic. Nicom. 5, 1: „διὸ καὶ παροιμιαζόμενοί φαμεν·

ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν.“

Qui versus usu demum in proverbium tritissimum abiisse videtur, quod Aristotelis tempore haud dubie pueri in scholis ediscebant. Maioris autem momenti sunt, quam quae ipse philosophus habet, quae Michael Ephesius ad hunc locum adnotat: „ἡ δὲ παροιμία Θεόγνιδός ἐστιν, ὡς Θεόφραστός φησιν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἠθῶν λέγων· ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν ἠθικῶν ὡς Φωκυλίδου αὐτῆς μέμνηται· καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν καὶ Φωκυλίδην καὶ Θέογνιν αὐτῷ χρήσασθαι.“ Quae dubitatio de auctore facillime oriri potuit, si utriusque poetae versus uno libro coacti erant, ita ut non accurate distingui possent. Sin integra Theognidis et Phocylidis carmina uno volumine continebantur, error non in prono erat. Saepius autem factum videmus, ut poetarum versus non bene distinguerentur, si uno libello complures auctores continerentur. Antiquissimum apud Graecos exemplum Hipponactis et Ananii iambos habemus, qui Aristophanis aetate non iam inter se dignoscebantur, quem ad modum ex ranarum fabula apparet, ubi

Bacchum exclamantem facit poeta: „Ἄπολλον, ὅς που Δῆλον ἢ Πυθῶν' ἔχεις.“ famuloque Xanthiae interroganti: „ἤλγησεν, οὐκ ἤκουσας;“ deus respondet: „οὐκ ἔγωγ', ἐπεὶ ἴαμβον Ἱππώνακτος ἀνεμιμνησκόμην.“ Ad quem locum docta haec adnotatio in scholiis scripta est: „ὡς ἀλγήσας καὶ συγκεχυμένος οὐκ οἶδε τί λέγει, ἐπεὶ οὐχ Ἱππώνακτος ἀλλ' Ἀνανίου.“ Tum apud Athenaeum 14 p. 625 c. Heraclides Ponticus versum affert, „οὗ μνημονεύει Ἀνάνιος ἢ Ἱππῶναξ ἐν τοῖς ἰάμβοις.“ Idem Athenaeus 3. p. 78 f. Ananio (Ananium enim vocare praeplacet) versum tribuit, cuius auctorem Hipponactem nominat Stobaeus. Stesichori deinde atque Ibyci carmina uno volumine conscripta videntur, qua de re plurima disputavit Schneidewinus, de Ibyco Rhegino p. 36 seq. Neque dubito, quin comoediarum volumina, quibus Athenaeus usus est, saepe complures poetas tenuerint. Quomodo res sese habeat cum quattuor carminum libris, qui Tibullo in codicibus adscribuntur, notum est. Antiquissimum autem apud Romanos exemplum Catulli carminibus edocemur, ubi carm. 14. p. 8, 28 legitur:

„Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
cur me tot male perderes poetis?
isti Dii mala multa dent clienti,
qui tantum tibi misit impiorum.“

atque p. 9, 6: „Dii magni, horribilem et sacrum libellum!“ quos versus si inter se comparaveris, uno libello poetarum nonnullorum carmina coacta fuisse apparet. Ἀλλ' οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος: Hauptium enim praeceptorem optimum de hoc Catulli loco in scholis disserentem audivi, ipseque primus carminis istius rationem animadvertit. — Theognidis igitur atque Phocylidis carmina uno volumine Aristotelis et Theophrasti iam aetate conscripta fuisse tantam habet veritatis speciem, ut vix hac de re dubitari possit, praesertim cum hoc modo difficultas a Michaele Ephesio non remota facillime tollatur.

Phocylidem autem secundum aetatis morem praecepta versibus elegiacis etiam condidisse, cum per se non absonum videatur, disertis confirmatur testimoniis. Suidas enim, de Phocylidis carminibus haec scribit: „ἔγραψεν ἔπη καὶ ἐλεγείας, παραινέσεις ἤτοι γνώμας, ἅστινας κεφάλαια ἐπιγράφουσιν.“ Athenaei accedit

testimonium, qui et 14 p. 620 c, quem locum iam exhibui, Mimnermum cum Phocylide componit, et apud quem 14 p. 632 d. haec leguntur: „Ξενοφάνης δὲ καὶ Σόλων καὶ Θέογνις καὶ Φωκυλίδης, ἔτι δὲ καὶ Περίανδρος ὁ Κορίνθιος ἐλεγοποιὸς, καὶ τῶν λοιπῶν οἱ μὴ προσάγοντες πρὸς τὰ ποιήματα μελῳδίαν, ἐκπονοῦσι τοὺς στίχους τοῖς ἀριθμοῖς καὶ τῇ τάξει τῶν μέτρων, καὶ σκοποῦσιν, ὅπως αὐτῶν μηδεὶς ἀκέφαλος ἔσται, μήτε λαγαρὸς, μήτε μείουρος.“ Ubi cum Phocylides cum Solone et Theognide et Periandro, qui elegiis potissimum poetarum gloriam nacti sunt, componatur, ipse etiam Phocylides inter poetas elegiacos referendus est: neque a coniectura abstinere possum Athenaeum „ἐλεγοποιοί“ scripsisse. Nam cur Periander solus poeta elegiacus vocetur, cum una nominentur celeberrimi huius generis poetae, Solo et Theognis, non perspicio, neque opus fuit, ut Periander ab altero eiusdem generis homine distingueretur, quoniam „Corinthius“ iam tyrannum et sapientem satis accurate designavit, quem elegias etiam scripsisse notissimum fuit. At nihil fere nobis restitit elegiarum Phocylidis; quo magis adducor, ut ex Theognidis atque Phocylidis carminibus elegiacis sententias selectas satis antiquo iam tempore coniunctas fuisse censeam, cum omnes Phocylidis elegos prorsus evanuisse non credi possit. Cyrillus etiam atque Dio Chrysostomus Theognidem et Phocylidem ita coniungunt, ut apud eos non divisi fuisse videantur; quos non integra Theognidis carmina, sed sententias tantum morales eius nomine insignitas cognovisse animadvertimus.

Itaque cum Theognidis atque Phocylidis sententias quasdam antiquo iam tempore uno libro coactas fuisse sine difficultate credi possit, nos quoque inter ea, quae Theognidi vulgo adscribuntur, non exiguam partem Phocylideorum habere probabile est: singula vero frustula, quae alteri utri tribuenda sint, nemo secernere potest. Sed praeter Phocylidis sententias aliorum quoque poetarum versus in huiusmodi collectionem recipi potuerunt, id quod re vera factum esse probari potest. Sic Solonis imprimis versus cum Theognideis coniuncti fuisse videntur, quod eo facilius evenire potuit, quoniam Solonis elegiae olim Athenis Apaturiorum festo a pueris in publico recitabantur, unde iam coniectura capi potest, eius carmina in scholis usurpata esse.

Clemens Alexandrinus scribit haec stromat. 6. p. 740: „Σόλωνος δὲ ποιήσαντος·

„'τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται'

ἄντικρυς ὁ Θέογνις γράφει·

'τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.'“

Qui versus accuratius animadvertenti vix inter se diversi videri debent: duae enim voces tantum immutatae sunt. Quarum prior non mutata dici potest, cum particula 'γὰρ' sententiarum conexu dissoluto saepissime in 'τοί' commutetur, quae mutatio aut ab eis iam facta est, qui sententias congesserunt, aut postea demum in collectionem nostram illata est, cuius rei vestigia nonnunquam in codicibus deteguntur. Sic v. 441 Mutinensis „γὰρ“ habet, ceteri libri „τοί“; v. 315 apud Solonem „γὰρ“ legitur, apud Theognidem „τοί.“ Quotiens „τοί“ in collectione nostra usurpatum sit, ex his fere locis, quos enumerare liceat, apparebit: v. 74. 95. 115. 153. 157. 161. 193. 209. 211. 221. 267. 271. 287. 315. 361. 457. 463. 513. 525 585. 605. 627. 641. 693. 719. 991. 1027. 1037. Una igitur tantum vox re vera immutata est, quare adducor ut credam, non diversos esse versus, sed unum atque eundem versum a Clemente iam bis utriusque poetae nomine lectum. Accedit, quod interdum apud paroemiographos hic versus paucis mutatis legitur, et quod Homero iam tribuitur a scholiasta Pindari, Olymp. 13, 12. Antiquissima videtur sententia nostra, quam praeter Solonem alii quoque poetae adhibuerunt. Sic Pindarus, rem prorsus invertens, Ol. 13, 12 ὕβριν κόρου μάτερα appellavit. Philo quoque Iudaeus in vita Mosis p. 714 haec scribit: „τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὡς ὁ τῶν παλαιῶν λόγος“, unde in proverbium hanc sententiae partem abiisse patet. Proverbia autem vel similes locutiones ab elegiacis poetis non esse spreta altero Solonis exemplo confirmatur; auctor dialogi de iusto, qui inter Platonis opera fertur, scribit: „εὖ ἡ παλαιὰ παροιμία ἔχει, ὅτι πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί,“ ad quem locum scholiasta p. 465 ed. Bekk. adnotat: „ἐμνήσθη ταύτης καὶ Φιλόχορος ἐν Ἀτθίδος α' καὶ Σόλων ἐλεγείαις καὶ Πλάτων ἐνταῦθα.“ Proverbium autem nostrum Solo procul dubio in elegiis commemoravit, cuius distichon integrum in Theognidea relatum est. Unde colligendum esse arbitror, Clementem Alexandrinum, qui Solonis car-

mina cognovit, quem ad modum ex aliis locis apparet, Theognideorum collectione usum esse, cui Solonis etiam praeter Phocylidis versus admixti essent, neque quidquam video, quod huic opinioni obsit. Theognidis carmina re vera excerpta atque una cum aliorum eiusdem generis poetarum versibus in collectionem quandam relata sunt, quae puerorum institutioni inserviit. Talis autem collectionis nos habere vestigia quominus credamus obstat illa appendix a Bekkero demum ex codice Mutinensi edita. Quos versus amatorios Athenaei et Cyrilli tempore nondum Theognidis nomine lectitatos fuisse antea iam demonstravi; tamen in optimo et antiquissimo codice Mutinensi Theognideis adduntur. Suo iure autem Welckerus iam prolegomenon p. CII commonuit, non Theognidis nomen iteratum esse ante hos versus, ubi simpliciter legitur: „ἐλεγείων β′,“ quamquam semper fere librariorum hic mos fuit, ut in novi libri initio auctoris nomen denuo collocarent: novum autem librum incipi in aperto est. Itaque cum non unius auctoris omnes hi versus sint, id quod Solonis versibus, qui in eis leguntur, comprobatur, quo modo haec collectio orta atque serioris argumenti versibus adiuncta sit, quaeritur. Solonis distichon quoddam a Platone iam Lyside p. 212 e. commemoratur, qui auctorem non nominat, quem Hermias, in Platonis Phaedrum p. 78. ed. Ast. Solonem fuisse testatur. Nullum praeterea ex his versibus, quantum equidem scio, laudatum invenimus; fortasse et Theognidis et aliorum versus hic latent: sed nihil certi efficitur, neque Theognidi tota collectio temere adscribenda est; nam ne antiqui quidem omnes versus sunt, sed qui eos post Theognidis versus collocandos curavit, vel qui antea iam obscoena disticha collegit, id quod re vera factum esse Stratonis delectu evincitur, ipse nonnullos confecit. Cuius rei haec habeo exempla: Solonis distichon istud v. 1253 seq.:

„Ὄλβιος, ᾧ παῖδές τε φίλοι καὶ μώνυχες ἵπποι
θηρευταί τε κύνες καὶ ξένοι ἀλλοδαποί.“

alterum sequitur:

„Ὅστις μὴ παῖδάς τε φιλεῖ καὶ μώνυχας ἵππους
καὶ κύνας, οὔποτέ οἱ θυμὸς ἐν εὐφροσύνῃ.“

cuius sententia eadem est, quae antecedentis, et quod sine illo

ne confici quidem potuisse censeo. Bergkio utrumque Solonis visum est, cui non accesserim, cum alterius dictionem poeta nobili, qualis Solo fuit, non dignam, neque antecedentis sermoni aequalem esse arbitrer. Nonnulli deinde versus poetae antiquioris a versificatore usurpati sunt: ipsum enim parodiis ita sese irrisisse credere nequeo. Legitur v. 301:

„Πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνὴς
λάτρισι καὶ δμωσὶν γείτοσί τ᾽ἀγχιθύροις.“

pro quo v. 1353 haec exstant:

„Πικρὸς καὶ γλυκύς ἐστι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής,
ὄφρα τέλειος ἔῃ, Κύρνε, νέοισιν ἔρως.“

qui pentameter non satis aptus est hexametro. Quod v. 301 modus imperativus, v. 1353 vero indicativus legitur, non ad rem nostram facit: versum eundem dicere possumus. Fortasse etiam hic imperativus restituendus est. Cyrni quoque nomen, quod versui aptum esset, in pentametrum hunc translatum est. Eius distichi quod v. 1355 additum est:

„ἢν μὲν γὰρ τελέσῃ, γλυκὺ γίνεται· ἢν δὲ διώκων
μὴ τελέσῃ, πάντων τοῦτ᾽ ἀνιηρότατον.“

clausula quoque ex Theognideis furto surrepta est, quo magis appareat, inficeti cuiusdam hominis hos versus esse. Quare suo iure Welckerus quattuor hos versus inter parodias, quas nominavit, rettulit, cum ex Theognideis detorti sint, etsi carmen inepte immutatum potius quam parodia est. — Cum v. 597:

„δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἀτάρ τ᾽ἄλλοισιν ὁμίλει
ἀνδράσιν, οἳ τὸν σὸν μᾶλλον ἴσασι νόον.“

hexameter carmini amatorio idoneus videretur, v. 1243 hoc modo ex illo contortus est:

„Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν. ἔπειτ᾽ ἄλλοισιν ὁμιλεῖν,
ἦθος ἔχων δόλιον, πίστεος ἀντίτυπον.“

V. 1086: „τοῦθ᾽ ἔρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ.“
repetitur v. 1238 sine ulla mutatione. Cum v. 1117:

„Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων,“

legeretur, qui amatorios versus conflavit, v. 1305 hoc modo scripsit:

„Ὦ παίδων κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων.“

Totum fere distichon v. 1261 seq.:

„ἰκτίνου γὰρ ἔχεις ἀγχιστρόφου ἐν φρεσὶν ἦθος,
ἄλλων ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος.“

ex Theognideis compositum est, atque legitur v. 215:

„Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.“

et v. 213:

„Κύρνε, φίλους κατὰ πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,“

qui hexameter v. 1071 repetitur; ex quibus versibus me iudice v. 1261 factus est; pentameter autem v. 1262 uno tantum vocabulo mutato legitur v. 1152, ubi „δειλῶν“ est pro „ἄλλων“, quare Bekkerus v. 1262 quoque „δειλῶν“ scribendum esse non recte suspicatus est. Neque v. 1257 seq.:

„Ὦ παῖ, ἰκτίνοισι πολυπλάγκτοισιν ὁμοῖος
ὀργήν, ἄλλοτε τοῖς, ἄλλοτε τοῖσι φιλεῖν.“

sine Theognideis, quorum partem modo adscripsi, unquam lucem vidissent. Pentameter deinde v. 1266:

„εὖ ἔρδων αἰδοῦς οὐδεμιῆς ἔτυχον.“

aperte factus est ex hexametro v. 253:

„αὐτὰρ ἐγὼν ὀλίγης παρὰ σεῦ οὐ τυγχάνω αἰδοῦς.“

Idem etiam versus in collectione hac amatoria bis legitur, v. 1306 atque 1332:

„ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου.“

Quibus exemplis satis comprobatum esse puto, non genuinam esse hanc collectionem neque antiquitus Theognidi adscriptam. Quamquam antiquorum auctorum versus insunt, non mihi ante Stobaei aetatem collectio haec alteri Theognidis nomine inscriptae addita videtur; sed quo tempore ordo antiquae gnomologiae graviter turbabatur, amatorii versus isti addi potuerunt, qualis fere Welckeri etiam sententia est. Pro argumento vero, quo maxime nonnulla ex Theognidis demum carminibus huc translata esse comprobatur, integra disticha repetita sunt, quae, qui hanc extremam partem ediderunt, Bekkeri exemplum secuti omittenda duxerunt. Ante v. 1279 leguntur v. 1101. 1102, „neque tamen illi versus cum hoc disticho apte coniungi possunt“, ut Bergkii verba transscribam. Verum, si omnia in obscoenitatem convertuntur, versus:

„Ὅστις σοι βούλευσεν ἐμεῦ πέρι, καί σ' ἐκέλευσεν
οἴχεσθαι προλιπόνθ' ἡμετέρην φιλίην.“

etiam inter obscoenos referri potuerunt. Repetuntur v. 1151. 1152 quoque, cuius distichi pentametrum iam nominavi, ante v. 1239, quae disticha non videntur tantum cohaerere, quomodo Bergkius censuit, sed re vera cohaerent; quis est enim, quin videat, quattuor hos versus:

„Μήποτε τὸν παρεόντα μεθεὶς φίλον ἄλλον ἐρεύνα,
δειλῶν ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος·
πολλάκι τοι (γὰρ) παρ' ἐμοὶ κατὰ σοῦ λέξουσι μάταια,
καὶ παρὰ σοὶ κατ' ἐμοῦ· τῶν δὲ σὺ μὴ ξύνιε.“

artissime inter se coniungi debere. Temere autem post v. 1152 alterum distichon omissum est; utrumque olim in collectione nostra collocatum fuit. Nonnulli igitur versuum amatoriorum Theognidis, Solonis, aliorum esse possunt: nonnulli certe recentiores sunt.

Itaque appendix ista non nos vetat credere, olim fuisse Theognideorum collectionem in usum puerorum institutam. Multo potius nos edocet, quo nobis modo ex antiquiore hac gnomologia nostram ortam esse fingere debeamus.

Cum Theognidis carmina propter morales sententias imprimis aestimarentur, atque quarto iam a Chr. saeculo hae sententiae excerpi coeptae essent, factum est, ut Phocylidis sententiae morales, „κεφάλαια“ nominatae, Theognideis adiungerentur; quibus Solonis quoque et aliorum poetarum elegiacorum versus adiecti sunt. Libellum, quo eorum, quos nominavi, poetarum sententiae continebantur, primis p. Chr. n. saeculis nonnulli auctores versarunt. Hoc fere tempore numerus versuum, quem Suidas habet, et mentio elegiae in servatos Syracusanos a grammatico quodam scriptis mandata esse debent; sed eodem tempore integra Theognidis carmina, nisi iam antea deperdita erant, periisse censenda sunt. Ordinem autem collectionis, qualem nobis nunc finximus, perversum fuisse non putare possumus; sed cum nunc ordo perturbatissimus sit, ut tum fere temere mutatus sit oportet. Qui ordinem immutavit, pro libidine nonnulla omisit, id quod exemplis iam comprobavi. Verum idem mihi quidem non unam tantum huius generis collectionem ante

oculos habuisse videtur, sed duas vel plures etiam, unde nonnulla mutuatus est.

Cognovisse eum, qui carmina amatoria adiecit, Theognideorum collectionem, neque hanc, quam nos nunc habemus, sed paullo uberiorum, antea iam ostendi, de v. 1239 agens. Et cum plurima, quae in nostra collectione leguntur, in illa appendice rursus occurrant, non dubium videri potest, quin, qui hos versus confecit atque addidit, nostram quoque collectionem ante oculos habuerit; unde coniectura oboritur, eundem hominem hanc partem conflavisse atque ex alia collectione nostram fecisse.

Distichorum autem repetitiones potissimum comprobant, compluribus fontibus eum usum esse; quam ob causam de distichis iteratis paucis agendum videtur.

V. 39—42 iterum leguntur v. 1081 seqq., sed pentameter prioris distichi mutatus est: hexametrum hunc habemus:

„Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα“,

pentametros vero hos: v. 40:

„εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης·“

v. 1082: „ὑβριστὴν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.“

Distichon autem quod insequitur v. 41. 42 editores post v. 1082 omiserunt, quamquam in tribus codicibus optimis atque in septem ex ceterorum grege legitur: quare olim totum hunc locum bis scriptum fuisse iam suspicari possumus, alterum autem distichon a nonnullis tantum librariis omissum est, quibus non summa fides debetur. Quodsi totus locus in antiquis codicibus bis exstitit, non utriusque loci Theognis, quem propter Cyrni nomen auctorem putare debemus, auctor esse potest; sed pentameter ille semel a Theognide scriptus paullatim mutatus est, quare bis eum collocandum censuit, qui nostram collectionem instituit. Post eundem v. 1082 alia quoque disticha repetuntur: et subsequuntur quidem v. 42 iteratum v. 87—90 et v. 93. 94, qui non artissime cohaerent cum sententiis illic collocatis. Priorem locum praeter Mutinensem novem libri, alterum unus tantum praeterea exhibet; quos locos suo Marte recte librarii omiserunt; sed eos, qui nostram farraginem conscripsit, una cum v. 1081. seq. in alia gnomologia invenit atque antea iam scripsisse oblitus est. V. 59. 60:

„ἀλλήλους δ'ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες,

οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες, οὔτ' ἀγαθῶν.“

rursus inveniuntur v. 1113. 1114, sed ordo verborum paullum immutatus est. Utriusque pentametri voces Heckerus magis etiam aequiparare studuit, eo quod v. 1114 „γνώμην“ pro „μνήμην“ restituit; sed mutatione nulla opus videtur. Universa autem sententia v. 53—60 iterata legitur v. 1109—1114, verum v. 1111. 1112 priore loco non inveniuntur, quamquam imprimis apta videtur haec sententia. Quare, cum ei versus, qui bis leguntur, non egregie cum v. 58 cohaereant, sed multo melius v. 1112 subsequantur, non dubito, quin priore loco duo isti versus resecandi sint. Altera autem difficultas, quae in his versibus inest, non facile tollitur; nam v. 57 seq. eidem fere sunt, qui v. 1109 seq., nisi quod nomina diversa sunt. Quare in eadem elegia olim hunc locum bis exstitisse arbitror, ita tamen ut v. 56 statim v. 1109—1114 subsecuti, v. 57. 58 paullo infra collocati fuerint; v. 59. 60 igitur omnino ab hac elegia alienos duco. Neque quemquam offendere potest, quod „τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;“ in eadem elegia bis legitur, cum apud Tyrtaeum quoque fr. 12 v. 10 idem sit qui v. 20. Sed neque ipse hanc rationem certissimam esse opinor. V. 98—100 deinde post. v. 1164 iterum leguntur, quos non ex priore collectionis parte repetitos, sed aliunde profectos esse eo comprobatur, quod v. 97 non divelli potest ab antecedente disticho, v. 1164 vero non cohaeret cum insequenti versu, qui ita mutatus est, ut quattuor hi versus per se absolutum sensum praebeant: legitur enim v. 97: „ἀλλ' εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος“ unde omissis v. 93—96 factum est: „τοιοῦτός τοι ἀνὴρ ἔστω φίλος.“ quare qui nostra compilavit, duos esse locos diversos ratus utrumque inter suos versus rettulit. Quos versus decem libri, inter quos Mutinensis etiam est, repetunt; sequuntur hos versus repetitos in tribus codicibus v. 415. 416, in duobus etiam v. 417. 418. Qui versus cum sententiae similis sint atque v. 97—100, non dubito, quin compilator noster alio loco eos una cum v. 97—100 ex integro carmine excerptos invenerit; quae repetitiones librarios offenderunt, qui hac de re nonnulla disticha omiserunt. Codicis autem Mutinensis librarius, quae ante oculos habuit, descripsit, neque quidquam, quantum animad-

vertere possumus, pro arbitrio mutavit. Octo igitur versus post v. 1164 repetiti sunt; sed totus hic locus olim longe alius mihi fuisse videtur, atque nunc legitur: fortasse ex alio fonte haustus est; quare ordinem mihi deserere atque de repetitionibus, quae hic praeterea inveniuntur, agere liceat. Post. v. 1160 iam duodecim codices v. 1095. 1096 repetunt, non autem propter sententiae similitudinem, ita ut nemo dicere possit, librarios hac de causa id distichon repetivisse. Insequuntur v. 1161 seq., qui ipsi v. 409. 410 iam leguntur, quamquam pentameter prorsus alius est: v. 409 legitur:

„Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσῃ ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥτ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται.“

et v. 1161: „Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσειν παισὶν ἄμεινον·
αἰτοῦσιν δ'ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου.“

Hexametri constructionem tantum diversam esse apparet; pentametri autem vocabula, quin etiam elementa singula, invicem sibi respondent, sententia vero alia est. Id quod non casu, sed consulto factum esse existimo. Stobaeus etiam 31, 16 hunc locum laudat, qui priorem tenorem respexit. Poetam autem nullum duo haec disticha confecisse puto, sed errore quodam pentameter totus mutatus est, aut consulto alter ex priore factus: certe distichon ab eo, qui nostram farraginem collegit, iam bis lectitatum est. Quod distichon olim versus sex sequebantur, qui nunc v. 441—446 leguntur: quos omnes aeque codices v. 1162 subiungunt. Non paullo infra post v. 1178 in optimis tribus codicibus v. 555. 556 repetuntur, sed hexameter non plane idem est, quoniam in duobus gnomologiis, ut hoc nomine utar, idem distichon exstitit, quod in altera paullatim immutabatur. Post v. 1182 quoque duo codices, quorum unus Mutinensis est, v. 367. 368 repetunt, qui versus fortasse olim coniuncti erant; codex autem K. eosdem versus post v. 1186 repetit, quam rem librarius proprio Marte instituisse videtur.

Revertamur ad nostrae collectionis ordinem: v. 115:

„πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιος εἰσιν ἑταῖροι,
ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.“

repetitur v. 643. 644, ubi hic legitur hexameter:

„πολλοὶ παρ' κρητῆρι φίλοι γίγνονται ἑταῖροι,“

pentameter idem est. Quod distichon gnomam vocaverim, quae inter versus pseudo-Phocylideos quoque occurrit; at non ab uno poeta huius gnomae utramque formam profectam esse arbitror, sed tritissimum hunc versum sponte quodammodo, cum frequentaretur, aliam induisse formam: utraque autem forma servata et in nostram gnomologiam recepta est. Prorsus eodem modo res se habet cum notissimo disticho v. 211. 212, quod nulla fere voce mutata v. 509. 510 repetitur. Quis enim est, qui credat, aut unum poetam hosce versus condidisse:

„Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.“ atque:
„Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν.“

aut omnino diversa esse disticha; quare Bergkius v. 509. 510 iure cancellis saepsit. V. 209. 210 quoque ante v. 333 repetuntur, quorum versuum sententiae similes sunt; cum hanc ob causam repetiti viderentur, omnes codices praeter Mutinensem, i. e. qui ex archetypo derivatus est alter liber, omiserunt (errorem librarii p. 16. ed. Bekk. Bergkius p. 402 repetendum curavit). V. 213. 214. 217. 218 etiam iterum leguntur v. 1071—1074; sed non eo, quod prior locus disticho auctior est, diversum esse comprobatur. V. 571. 572 deinde in decem libris leguntur post v. 1104; v. 619. 620 in sex libris post v. 1114; v. 853. 854 post v. 1038; v. 877. 878 post v. 1070 in omnibus codicibus. Quoniam in Mutinensi omnes illi versus repetuntur, in archetypo iam collectionis nostrae repetiti fuerunt. At cum nemo, qui primus sententias excerpit, hoc modo quaedam repetat, quaedam omittat, qui nostram farraginem congessit, procul dubio non summa cum sagacitate ex compluribus libris sua descripsit. Sic propter copiam versuum, qui paene nihil mutati repetuntur, totus mihi locus inde a versu millesimo fere ex altera collectione assutus videtur. Id quod praeterea eo quoque comprobatur, quod diversissimae interdum lectiones in distichis repetitis inveniuntur. Nonnunquam casu fieri potest, ut unius loci lectiones inter se discrepent: verum si nostros locos comparamus, sequitur, diversam eorundem versuum recensionem adesse. Unde non colligendum est, ipsarum Theognidis elegiarum olim

duas exstitisse recensiones, sed disticha illa in duas collectiones recepta sunt, ubi passim nonnulla verba immutabantur, ita ut nonnunquam versus vix pro eisdem agnosci possent. Idem etiam sequitur ex lectionibus apud alios auctores servatis. Diversas igitur eorundem versuum formas non explicare possumus, nisi duobus libris illa disticha servata esse putamus. Cum per se non a veritatis specie recedat, interdum factum esse, ut ex carminibus Theognidis eadem disticha in duas collectiones reciperentur, diserta accedunt testimonia, quibus re vera bis non solum ab auctoribus exscripta, sed in collectionem etiam sententiarum aut epigrammatum relata esse comprobatur. In anthologia enim nonnulla disticha, quae nunc Theognidis nomine feruntur, exstant; anthologiam autem mutilam tantum habemus, cum Alexandrini iam grammatici primi epigrammata collegerint. Theognidis igitur sententiae huc etiam recipi potuerunt, quare non necesse est, ut ex nostra demum collectione in anthologiam pervenisse arbitremur: neque ex anthologia in nostram collectionem receptas esse scripturae iam discrepantiis comprobatur.

Nostra igitur collectio re vera orta est ex antiquiore gnomologia quadam, et fortasse ex ipsa illa antiqua collectione, qua Theognidis et Phocylidis sententiae continebantur, nostra deducta est. Sed fuerunt, qui propter ordinem perturbatum existimarent, non nostram collectionem deductam esse ex antiquiore, sed consarcinatam ex fragmentis apud alios auctores servatis. Cuius sententiae post Wassenberghium atque Epkemam Batavos Welckerus imprimis exstitit patronus, qui prolegomenon p. CII sex potissimum argumentis comprobare studet, re vera factum esse, ut „qui has copias redegit, deperdito iam tum Theognide loca dissoluta ex aliis scriptoribus in unum congereret.“ Quam rationem haudquaquam approbare possum, neque argumenta ista firmissima sunt, cum statim, quae primo et altero loco posuit, aeque meae atque ipsius sententiae faveant. Nam quod Plato et Xenophon alium versuum ordinem, quam qui nunc observatur, cognovisse videntur, hoc tantum comprobat, non eos nostra collectione usos esse. Hac in re igitur mihi cum Welckero convenit. De tertio etiam argumento antea iam exposui; scribit ille de v. 19—26 saepius commemoratis: „qui vero clausulae imponendae unice apti sunt versus, eos, qui Theognideum librum reconcinnare studuit, ut operi ab ipso condito quodammodo pro lemmate essent, in fronte posuit statim post epigrammata, quibus invocationem deorum in epica poesi solemnem imitari voluisse videtur.“ Quae ratiocinatio inde profluxit, quod integram gnomologiam ab ipso iam Theognide profectam esse Welckerus arbitratur. Eadem opinione quintum argumentum nititur, quod hac de re ante quartum respicio. Sane sententiarum conexus nullus fere invenitur in farragine nostra; et qui fragmenta collegisse censendus est, cum plerumque hic labor non sit grammaticorum barbarorum, ordinem quendam instituere debuit, qui quod desideratur, iam comprobat, non nobis rem esse cum fragmentis a grammatico, qui certum finem sectabatur, undique collectis. Quarto autem loco quod contendit, „multo minus probabile esse, tot intextas gnomarum Theognidearum repetiones paullum variatas, tot etiam aliorum poetarum elegiacorum versus paullatim ab aliis appicta, quam primitus a librario undecunque coacta et corrasa esse“ non cum veritate convenit. Nam hunc egregium grammaticum vellem viderem, qui fragmentorum collectionem instituturus eadem fragmenta bis poneret diversosque inter se auctores confunderet: librarius adeo rudis insipidusque non id agit, ut plurima volumina perlegat indeque sententias oblitterati cuiusdam auctoris in unum colligat. Meae potius sententiae argumentum istud favet; maxima enim incuria grassatum esse eum, qui ex antiquiore gnomologia vel ex gnomologiae ruderibus nostram farraginem congessit, multi loci demonstrant, ubi disticha quaedam omissa sunt, quibus sensus aegre caret. Tum Welckerus ante Stobaei iam aetatem Theognideis aliorum poetarum sententias adiunctas fuisse neglexit, quare cum ipse Byzantinum demum hominem fragmenta ista collegisse censeat, quartum argumentum ipsius opinionem non comprobat. Sexta denique ratio a quarta divelli nequit: ordinem enim perversum pravumque ordinandi consilium premit, quae artissime cohaerere cum repetitionibus aliisque huiusmodi vitiis nemo non videt. Quodnam ordinandi consilium secutus sit ille „librarius“ non apparet: saepissime enim nullum consilium invenitur. Neque ipse Welckerus suorum tenacissimus est: nam

cum „rem omnino lubricam“ esse sentiat, illam, quam sex istis argumentis defendere studuit, rationem paullo post invertit, ingenueque fatetur prolegomenon p. CXI: „singulatim cum omnia ex Platone, Aristotele, Plutarcho, aliis, apud quos hodie Theognidis quaedam forte transscripta legimus, et ex deperditis illum eadem ratione obiter citantibus collegisse, pro magno versuum, qui a nemine superstitum memorantur, numero, minus probabile“ esse. Tum quod scribit: „si vero sumimus, non epitomen ex integro nos tenere Theognide, sed compilatorem tum ex variis scriptoribus, quae Theognidis nomen ferrent, legendo mutuatum esse, tum plurima fortasse ex chrestomathiis quibusdam gnomicis excerpsisse, minus mirandum, quod tot sententiae paullum variatae repetuntur, ... quam si tot additamenta a librariis profecta esse statuas“ non longe a veritate abesse videtur. Nam veri simile esse vidimus, complures eum gnomologias ante oculos habuisse, quas temere exscripsit, quare ipsi vitio vertendum est, quod non omnia integra memoriae tradidit.

Ex ratione, qua collectio nostra orta est, sequitur, non, quaecunque recepta sunt, ipsi Theognidi tribuenda esse; quapropter aliorum poetarum versus segregandi sunt. Ordiamur a versibus Solonis, quorum haud exigua copia inter Theognideos relata est. Exemplum dignissimum quod animadvertatur ex Solonis elegia ad Musas conscripta petitum est, quae integra apud Stobaeum 9, 25 servatur; idem vero Stobaeus 111, 16 huius elegiae tria disticha Theognidis nomine (v. 585 — 590) affert, quae non, ut iubet Bernhardyus hist. litt. graec. vol. 2. p. 357 a Solone aliena iudicanda sunt. Ex eadem elegia v. 227—232 petiti sunt, quos Solonis esse praeter Stobaeum Aristoteles, Plutarchus, Basilius Magnus comprobant (Welcker. p. 78. Solon. ed. Bach. p. 80). Alios quoque versus Plutarchus Soloni tribuit, qui inter Theognideos leguntur; eodem modo res se habet cum Mimnermi et Tyrtaei versibus, quare eorum versus enumerare tantum liceat. Soloni tribuendi sunt v. 227—232; 315—318; 585—590. 719—728; Mimnermo 795. 796; 1017—1022

1227. 1228, quos iniuria in Theognideos relatos esse p. 21 demonstravi. V. 1017. 1018, etsi nusquam Mimnermi nomine leguntur, huic tamen tribui debent, cum a disticho insequenti divelli nequeant. Ex coniectura quoque non dubia Soloni v. 725—728 tribuuntur. Tyrtaei denique versus sunt 935—938; 1003—1006.

Paullo difficilior quaestio est de versibus aliis quibusdam. Disputavi iam de v. 147, quem Theophrastus Theognidis et Phocylidis, de v. 153, quem Theognidis et Solonis nomine inscriptum Clemens Alexandrinus legit, de v. 255. 256, quos epigramma Deliacum Aristoteles vocavit. Antiquioris poetae v. 467 et 469 videbantur:

„Μηδένα τῶνδ' ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ' ἡμῖν,
μήδ' εὕδοντ' ἐπέγειρε, Σιμωνίδη.“

Athenaeus 8 p. 364 Pherecratis aut Nicomachi versus affert, quibus Hesiodi praecepta quaedam non inficete exprimuntur; adduntur duo hi hexametri, et tertius ab ipso comico adiectus. Quos ex Theognide demum desumptos esse iudico, praesertim cum, quo tempore comicus ille vixit, Theognidis carmina celeberrima fuerint. Qua de re et Welckerus in commentario p. 140 et Ferdinandus Schultzius, praeceptor dilectissimus, a. 1838 in Welckeri museo rhenano disputavit. Altera vero difficultas etiam adest; ab Aristotele enim, metaphys. 4, 5, v. 472:

„πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ' ἀνιηρὸν ἔφυ.“

Eueno Pario tribuitur. Sed cum ex eadem elegia petitus sit, ex qua v. 467. 469, aut Aristoteles errasse censendus, aut illi quoque duo versus Eueno tribuendi sunt, quem ad modum Camerarius fecit. Mihi autem Welckerus atque Bergkius non longe a vero aberrasse videntur, quorum ille v. 467—474 inter incerti auctoris versus numerans dictionem illam proverbium esse arbitratur, atque εἶναι δημοτικόν τι τὴν παροιμίαν καὶ κοινόν, hic, cui totus locus Theognideus est, Euenum versum hunc nobilem suum in usum adhibuisse censet; et Bergkio accedere malim. Non opus est, ut uberius agam de v. 425 et 427:

„Πάντων μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
φύντα δ'ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀίδαο περῆσαι,“

quos versus et Silenus Midae regi dixisse ab Aristotele traditur, et quos Homerus in famoso illo certamine Hesiodo respondisse fertur. Quibus hexametris, qui optimum per se praebent sen-

sum atque egregie cum antiquitatis indole conveniunt, fortasse posterioris aetatis poeta pentametros adiecit.

Cum haud exiguus numerus alienorum versuum in Theognideis legatur, quorum auctores non ignoti sint, sponte oboritur coniectura, alios quoque versus aut eorundem aut aliorum poetarum Theognideis immixtos esse, quam primus Camerarius protulit: „καὶ ὑπολάβοι ἄν τις οὐκ ἀλόγως ἐκ τούτων, ὅτι καὶ ἄλλα παντοῖα παρενεβλήθη.“ Quae res satis in aperto est, siquidem Phocylidis potissimum magnam versuum copiam Theognideis iunctam esse arbitramur. At qui pro certo in re tam ambigua aliquid constitui posse credunt non magis sapiunt, quam qui gramina crescentia audire sibi videntur. Exstiterunt vero, qui nonnullos versus certo auctori vindicare studerent, neque semper a veritate plane aberrarunt, quamquam nimis subtilia plerumque nos credere iubent. Bergkium, Hertzbergium, Heckerum tantum nomino. Bergkius in disputatione de crisi Theognidea integram Solonis elegiam restituere conatus est; hosce inter se coniungit versus: 373—382, post quos lacunam esse arbitratur; sequuntur v. 383—392; 743—752, alteramque lacunam excipiunt v. 315—318. 197—206. 731—724. Ipsasque quas constituit lacunas fragmentis minoribus sese explere posse non diffitetur. Argumentum vero, quo nititur, infirmissimum est: Solonis enim atque Theognidis indolem sese ita perspectam habere opinatur, ut, quid utri tribuendum sit, dignoscere possit. Unusquisque autem aliam horum poetarum indolem sibi formare potest, quae unde arripiatur nisi ex fragmentis ignoro. Quas nugas nimis incertas esse ipse Bergkius postea perspexit, sed alia Solonis fragmenta denuo investigavit, cui v. 945—948 tribuit, quae quodammodo cum genuinis versibus quibusdam conveniunt; at in altero potissimum disticho multa insunt, quae quominus Bergkio obsequamur prohibent; superbiores enim sunt, quam quibus Solo, quae instituit, defendere potuerit ab iniustis civium conviciis. Mimnermo deinde Bergkius v. 567—570; 877. 878; 939—942; 983—988; 1007—1012; 1063—1070 tribuit, quoniam sereno vitae cultui indulgent; sed ipsius Theognidis versus esse possunt. Tria vero disticha aliis commotus rationibus Mimnermo adscripsit, et v. 1023. 1024 quidem:

„Οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ' εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρῃ.“

propterea quod Tmolus mons nominatur, cuius mentio sane aliena est ab Attico vel Megarico poeta. Itaque Heckerus etiam philol. 5 p 469 in eandem coniecturam abiit, distichon Mimnermo vel Callino tribuens; quae ratio cum certa videatur, non dubito, quin Mimnermo, ut Asiae poetae, distichon assignandum sit, propterea quod et nullum Callini fragmentum in collectione nostra legitur et Mimnermi versus statim praecesserunt, quo facilius factum esse potest, ut alterum eiusdem poetae distichon adiceretur. Tertium autem poetam ex Asia oriundum praeter Mimnermum et Callinum non video, cui tribui possit. V. 1055—1058 deinde Bergkius coniectura tentavit, qua probata Mimnermo tribuantur oportet. Nam v. 1088:

„σοὶ καὶ ἐμοὶ καὶ μὴν ἀμφιπεριχτίοσιν.“

ex Bekkeri coniectura nunc legitur. Mutinensis corruptam habet lectionem: 'μὲν δ', codices K. O.: 'νῦν', I. G.: 'μὴν καὶ' ceteri libri 'μήν'. Brunckius pariter fere atque Bekkerus „καὶ μὴν κἀμφιπεριχτίοσιν“ scripserat. Bergkius vero nomen proprium hic latere censuit, atque Brunckii nisus coniectura scribendum esse suasit:

„σοὶ καὶ ἐμοὶ, Ναννοῖ, κἀμφιπεριχτίοσιν.“

Quamquam Nanno Mimnermi αὐλητρὶς nominatur, tamen quod nusquam in versibus qui restant eius nomen invenitur, Bergkii coniecturam r[illegible]tandam esse censeo. Anacreonti Bergkius v. 1211—1216 tribuit:

„Μή μ' ἀφελῶς παίζουσα φίλους δέννᾶζε τοκῆας,
Ἄργυρι· σοὶ μὲν γὰρ δούλιον ἦμαρ ἔπι,
ἡμῖν δ' ἄλλα μέν ἐστι, γύναι, κακὰ πολλ', ἐπεὶ ἐκ γῆς
φεύγομεν, ἀργαλέη δ' οὐκ ἔπι δουλοσύνη,
οὐδ' ἡμᾶς περνᾶσι· πόλις γε μέν ἐστι καὶ ἡμῖν
καλὴ, Ληθαίῳ κεκλιμένη πεδίῳ.“

atque per se iam credi potest, Anacreontis quoque versus in similem collectionem receptos esse. Versus illi interpretibus plurimas turbas dederunt; Camerarius aspiratione detracta 'Ληταίῳ' scribit, atque Letes, urbis Macedoniae, civem designari censuit. Vinetus autem, distichon praegressum cum his arte coniungens Theben Asiae urbem, Argyrinque Theognidis uxo-

rem esse opinatus est. Welckerus aenigma esse putavit, eoque Theognidem significari. Imprimis interpretes anxii fuerunt de Ληθαίῳ πεδίῳ, quod cum Megaris non inveniri posset, Vinetus de Asiae urbe cogitavit, Brunckius, quem in editione priore Bergkius secutus est, „ποτάμῳ" scripsit; at neque hac coniectura quidquam efficitur. Difficultates tolluntur, si Bergkio obsecuti Anacreonti hos versus tribuimus. Egregie enim primi versus mori modoque Anacreontis apti sunt, cum poeta Teius in insula Samo apud Polycratem tyrannum commoratus a mulieribus non abhorruerit, nomenque Argyris ancillam potius quam poetae uxorem deceat. In Anacreontem quoque magis quam in Theognidem quadrant, quae leguntur de poetae ipsius exilio. Teos enim urbs a Persis obsessa ab incolis Phocaeorum exemplum imitantibus deserta est; conqueritur autem poeta, patria sese expulsum esse, licet ipse cum sociis servitutem effugerit; quod servitutis periculum Theognis nunquam subiisse videtur. Urbs Teos denique κεκλιμένη Ληθαίῳ πεδίῳ nominari potest, ipseque Anacreon in primo ed. Bergk. fragmento Lethaei undas nominat:

„ἴκου νῦν ἐπὶ Ληθαίου δίνησιν."

Sed non assentior Bergkio, quod de crisi Theognidea agens v. 783—788 Xenophani adsignat, quoniam Xenophanem universam fere Graeciam et Siciliam permigrasse constat; Harpocratio autem p. 95. ed. Bekk. v. 783 Theognidis nomine affert. Neque v. 879—884 Tyrtaei sunt, quod Taygetus commemoratur.

Hertzbergius in Prutzii libro, qui inscribitur: litterarhistorisches taschenbuch, a. 1845 edito non multo maiorem laudem assecutus est; argumenta enim eius non firmiora sunt, quam pleraeque Bergkii rationes. Soloni adscribit v. 197—208; 221—226; 393—398; 401—406; 753—756; 1135—1150. Cum semel tantum Bergkius atque Hertzbergius idem invenerint, sed uterque horum poetarum indolem deprehendisse sibi visus sit, quam incerta res sit, in propatulo esse arbitror. Mirum quodammodo videtur, quod interdum Hertzbergius eos versus Soloni tribuit, qui versus a Bergkio Soloni vindicatos statim sequuntur. Mimnermo deinde v. 567—570; 974—978; 983—988; 1007—1012; 1063—1070 tribuit, ubi saepius ei cum Bergkio convenit; ipsius argumentum

apponere placet, p. 357: „charactere wie die des Theognis und Mimnermos konnten zu keiner zeit ihre rollen vertauschen." Tyrtaeo autem idcirco v. 865—868; 879—884; 997—1002; 1087—1090 tribuit, quod res belli commemorantur, quae quidem a Tyrtaeo quoque saepius nominantur: inde vero non sequitur, quaecunque metro elegiaco conscripta rerum bellicarum mentionem iniciant, a Tyrtaeo esse profecta. Alia, Bergkii assecla, Tyrtaeo adsignat, quod Lacedaemon et Eurotas nominantur. Simonidis denique Cei v. 757—768; 773—782 esse censet, quod Persarum mentio fiat, atque Simonides elegiis belli Persarum casus celebraverit. Verba eius p. 357 digna sunt, quae transscribantur: „da er gerade die wechselfälle der Perserkriege vielfach durch seine elegische muse verherrlicht, und mancher stadt und gemeinde willfährig seinen dichtermund zum gebet und zum preis der götter geliehen hat."

Heckerus Batavus maiore usus est prudentia, quam nostri homines: alias enim rationes conquisivit, quibus quae contendit probaret. Iam commemoravi, modeste eum censere, v. 1223. 1224 Mimnermo vel Callino tribuendos esse. Sed ei plaudere non possum, quod bis senos versus Soloni adsignat. Quoniam v. 503 legitur: „Οἰνοβαρέω κεφαλήν, Ὀνομάκριτε," totum hunc locum, v. 503—508, Atheniensi poetae, Soloni, adscribendum esse putavit: temporis autem computatio non quadrat, cum Solo biennio postquam Pisistratus primum tyrannide potitus est, mortuus sit. Theognidis potius quam Solonis aequalis Onomacritus fuit. „Solonis videntur etiam esse sex versus 949—954. Scilicet gloriatur se summa rerum Athenis potitum tyrannidem non affectasse; v. frg. 29. 32" Quam coniecturam his verbis ab ipso Heckero p. 469 prolatam Bergkius iam refutavit, adnotans p. 423, nimis argutos videri hos versus, quam ut Soloni tribui possint; neque hi versus me iudice de tyrannide intellegi possunt, recteque fortasse Welckerus aenigma eis contineri suspicatur. Vidimus igitur, admodum fallacibus rationibus plerumque has suspitiones defendi.

Sed praeter eos, de quibus modo egi, versus non omnes Theognidi tribui posse certum est, id quod ex collectionis nostrae indole, qualem cognovimus, sequitur. Antea iam monui,

Theognidi Megarensi eos versus tribui debere, qui ipsius poetae nomen in fronte habeant, quare isti etiam versus ei tribuendi sunt, in quibus aut Cyrni aut Polypaidae nomen legitur, nisi certae rationes obstant. Nam haec nomina alio etiam modo in collectionem nostram pervenire potuerunt: qua ratione in versibus amatoriis Cyrni nomen usurpatum sit, iam ostendi, atque de Hesychii loco, qui Polypaidae nomen in parodiis usurpatum esse testatur, locutus sum. Theognidis versus parodiis irrisos esse et illo Hesychii loco et altero, quem Welckerus prolegomenon p. LXXXI ex Philostrato affert, comprobatur. Parodiae summo iure „furcillis expellendae" sunt, sed vereor ne praeter illum, quem designavi, locum versus ullus parodicus nominari possit. Quare quamquam in Welckeri disputatione de parodiarum fabris et fabricis nihil reprehendi potest, quos versus ille inter parodias numeravit, non re vera hoc nomine designari posse persuasum habeo. Qui versus igitur alterum utrum nomen continent, Theognidi tribuendi sunt, quos, cum copia maxima sit, non enumerandos censeo. Alios etiam versus non a Megarensi poeta alienos iudicare possumus, quibus Megarorum res commemorantur. Nam etsi negari non potest, alium poetam hos versus scribere potuisse, tamen cum cognoverimus neminem, cui aeque hi versus conveniant atque Theognidi, dubitandi rationes iustae non adsunt. Ei quoque versus, quos antiqui auctores, quorum fidei nihil obici possit, Theognidis nomine afferunt, pro genuinis habendi sunt. Nonnulla igitur fragmenta poetae nostro certe vindicanda esse vidimus: quorum ingenium interdum id est, ut alia quoque ei adscribenda sint. Sic v. 783. 4 Harpocratione auctore, qui ipse antiquioribus testibus usus est, Theognidis sunt; inde quod legitur:

„ἦλθον μὲν γὰρ ἔγωγε καὶ ἐς Σικελήν ποτε γαῖαν,
ἦλθον δ' Εὐβοίης ἀμπελόεν πεδίον,
Σπάρτην τ' Εὐρώτα δονακοτρόφου ἀγλαὸν ἄστυ·"

Theognidem exulem fuisse necessario sequitur, quapropter sine dubitatione nonnulla, quae de exilio loquuntur, Theognidi tribuenda sunt, etsi Anacreontis potius quam Theognidis v. 1211—1216 videntur, atque de v. 1209 seq.:

„Αἴθων μὲν γένος εἰμί, πόλιν δ' εὐτείχεα Θήβην
οἰκῶ, πατρῴας γῆς ἀπερυκόμενος."

non diiudicari potest. Heckeri enim coniectura, „Ἀλκαθόου γένος" scribendum esse, ingeniosissima, sed nimis incerta est. Recte igitur Camerarius iudicavit, scribens: „ἀλλ' οὐδὲν γὰρ δυνατὸν διισχυρίσασθαι ἡμᾶς περὶ τοῦ πράγματος κ. τ. λ. . ." Alios vero versus, ut v. 891—894, Theognidi adscribere non dubito, quibus in Euboea sese commoratum esse ipse dicit, neque temporis rationes obstant. Quare v. 667—682 quoque Theognidis fortasse sunt, cum de hominibus ab Euboea fugientibus sermo sit v. 671:

„οὕνεκα νῦν φερόμεσθα καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες
Μηλίου ἐκ πόντου νύκτα διὰ δνοφερήν·"

unde Theognis quoque una cum nobilibus expulsus esse potest. Cum Simonidis nomen praeterea v. 469 legatur, coniectura non absona est, v. 467—492 quoque Theognidis esse, quorum versuum partem Athenaeus, quocum Stobaeus convenit, pro Theognideis laudat. Welckerus autem utrumque fragmentum propter Simonidis nomen a Theognide abiudicavit; a quo non alienam esse Simonidis mentionem arbitror, sive Leoprepis filius sive alter quidam Simonides intellegitur; quamquam poetae nomen esse libenter crediderim. Temporis enim rationes non obstant et utrumque poetam totam fere Graeciam permigrasse constat; Simonides etiam diu Athenis commoratus est, ita ut Theognidis fere vicinus fuerit, siquidem ille tum Megaris degit. Poetas autem Graecos invicem sibi carmina misisse vel scripsisse, antiquissimis Alcaei et Sapphus, Mimnermi et Solonis exemplis comprobatur. Megarensibus quoque Simonides favit, sicut et Theocriti scholiasta confirmat, ad idyll 12, 27 scribens: „Σιμωνίδης ἐπαινεῖ τοὺς Μεγαρεῖς," et epigrammate comprobatur, quod post victoriam ad Artemisium a Persis reportatam in honorem Megarensium, qui viginti navibus illic pugnaverant, Simonides confecit. Nam post doctissimam Boeckhii disputationem C. I. Gr. n. 1051 p. 556, quin Ceius poeta epigrammatis auctor sit, dubitari non licet. Unde Theognidem hos versus scribere potuisse, in aperto est. Itaque neque quidquam nos arbitrari vetat, versus illos ad Onomacritum,

quos Heckerus Soloni Atheniensi tribuerat, Theognidem scripsisse, illumque Onomacritum eundem fuisse, qui a Laso Hermionensi fraudis accusatus Athenis fugit.

Possunt hoc modo multo plures versus investigari, quos Theognis scribere potuit: tamen, cum non omnia Theognidis esse, neque unquam certe, quid ei tribuendum sit, dignosci posse animadverterimus, dubitare semper licebit. Non ignoro, ex eis, quae aperte Theognidis Megarensis sunt, indolem poetae elici posse, neque quemquam reprehendam, qui hac indole perspecta, quae propria sint Theognidi, conquirere studeat. Sed licet nonnulla ad liquidum perduci possint, quaedam semper in obscuro erunt, et cum, quotquot in huius generis disquisitionibus operam collocaverunt, aliam scriptoris indolem invenisse sibi videantur, equidem non dubitandum duxi, quin suam quisque indolem scriptoris ingenio inferat. Quam ob causam non uberius has res persecutus sum, id quod neminem mihi vitio versurum esse spero. Praeterea respicienda est poetae oratio aliaque, unde certiora documenta peti possunt, quam ex auctoris ingenio. Quem laborem non suscipiendum putavi, cum neque singulos versus percensere neque commentarium scribere velim. Rationes, quae in dignoscendis versibus Theognidis respici debeant, designasse sufficiat.

Quodsi ex eis, quae disputavi, multa certe Theognidi tribuenda esse, nonnulla vero ei tribui posse cognovimus, sponte quaestio oboritur, possintne ex his fragmentis integrae elegiae reconcinnari. Pristinam gnomologiae formam Welckerus sibi visus est indagasse; cuius liber cum multos incitaverit atque doctrinae copiam contineat, dignus mihi videtur, quem accuratius examinemus. Welckerus igitur „didascalicam sive praeceptivam fuisse Theognidis poesin“ atque unum huiusmodi carmen Theognidem Cyrno condidisse colligit. Partes tantum nos habere ex integris elegiis animadvertimus, quare Welckeri error in eo positus est, quod integras nos Theognidis sententias, quibus, quem ad modum praeceptores pueros, sic Cyrnum edocere voluerit, superstites habere censuit. Loci vero, quotquot agunt de Theognidis carminibus, aliter interpretandi sunt, neque talis opinio naturae poesis elegiacae convenit. Ab hac gnomologia ad Cyr-

num scripta Welckerus segreganda censet, „quae vel ab operis ratione, etiamsi a Theognide, sed alio tempore et consilio, scripta fuissent, vel omnino a nostro poeta aliena et perverse intrusa esse certo sciri possit.“ Suo iure igitur primo eos versus Welckerus ablegat, qui aliorum poetarum sunt. Quibus versibus nonnullos addit, quos incerti auctoris esse existimat. Huc refert v. 467—474, de quibus iam egi, et quam lubrica sit res ostendi. Sed in eo non sibi constat Welckerus, quod nonnullos versus, qui hos insequuntur, neque communi omnium consensu ab eis avellenda sunt, inter Theognideos collocat. Neque v. 667—670 a versibus, qui in libris sequuntur, segregandi fuerant. Simonidis nomen non esse iustam causam, ut Theognidi derogentur haec fragmenta, iam ostendi. Multo potius Welckeri iudicio de v. 903—920 accesserim: versus hi re vera „ieiuni alicuius grammatici“ exercitatio videntur. Neutiquam vero Orellio, quem Bergkius sequitur, assentior, qui Theronem tyrannum a Theognide nominari putat. De parodiis quoque, quas Welckerus a Theognide alienas iudicat, iam disputavi. Epigrammata deinde, quae „certas quasdam personas, locos, casus, tempora spectant“ a gnomis segregavit, quoniam hanc sibi opinionem formavit Welckerus, ipsum Theognidem gnomarum collectionem integram edidisse. Recte autem ipse non a Theognide haec aliena esse iudicavit. Res eodem modo se habet cum carminibus convivalibus, quae a gnomica poesi abhorrent. Cum diversis temporibus Theognidem carmina condidisse veri simile sit, nihil obstat quominus „iuvenilem hilaritatem spirantia vel licentiosa“ quoque eum scripsisse credamus. Neque ipse Welckerus a Theognide, sed a gnomologia Theognidis aliena esse censet. Aenigmata etiam ab hac poesi aliena sunt; inter quae nonnulla Welckerus rettulit, quae sensum obscuriorem habere videbantur; sed non omnia pro aenigmatibus habenda sunt, quorum sensus non in aperto est: pleraque omni fere conexu distituta sunt. Versus amatorios quoque summo iure a gnomis Welckerum secernere iam monui; inter quos nonnullos Theognidi tribui posse non negaverim. Restant igitur ei versus, quos Welckerus gnomas appellare solet; quorum partem ad Polypaidem scriptam integram olim gnomologiam formasse sibi

persuasit: quo magis confirmatur sententia, non recte Welckerum iudicare de versibus ad Cyrnum scriptis. Nam cum Cyrnum atque Polypaidem non diversos esse homines cognoverimus, versus illi non secernendi sunt. Ceteros versus omnes in gnomologiam istam Welckerus redegit, quod quo iure fecerit, iam vidimus. Satis mihi ex eis, quae disputavi, apparere videtur, non gnomologiam a Theognide scriptam esse, sed sententias tantum morales ex eius carminibus elegiacis excerptas uno libro coactas esse, unde nostra collectio orta est.

Welckeri igitur rationem non probandam esse, neque eius conatum successisse apparet. Verum omnino huiusmodi conatum inutilem fore equidem contenderim. Nam conquirere possunt, quae eiusdem argumenti sunt; nonnulla ad eandem elegiam pertinuisse videri possunt: sed sententiae ita abruptae sunt, ut certus conexus restitui nequeat. Neque omnia disticha Theognidis esse scimus, quorum permulta nunquam certo auctori vindicari poterunt Quapropter neque elegiae integrae restitui possunt neque carmen integrum, sive gnomicum, sive amatorium. Qui, quomodo nostra collectio oriri potuerit atque orta sit, perquisivit, serio de restituendo carmine non cogitabit.

Etiamsi non Theognidis reliquiae certo ex nostrae collectionis distichis dignosci possunt, neque nos ex fragmentis, quae Megarensi poetae tribui debent, elegiam restituere possumus, tamen natura poesis elegiacae Theognidis ex universa farriginis indole fortasse cognoscitur. Non tantum praecepta moralia Theognidem condidisse vidimus: poesis eius multo plures rationes persecuta est. Cum omnium fere elegiae generum, quotquot enumerari solent, vestigia in farragine nostra detegantur, neque Theognidem non auctorem esse probari possit, coniectura non absona videtur, ipsum Theognidem omnis generis elegias condidisse, qui mos tum fuit poetarum elegiacorum, ut Solonis imprimis exemplo docemur. Elegiacum enim poetam Theognidem nominare debemus, cum alius generis versus non norimus, neque Schneidewini suspitio, heroici quoque versus carmina eum condidisse, probabilis sit. Distichi autem elegiaci ipsa forma factum esse vidimus, ut sententiae breves fierent, et ut praecepta moralia, quibus imprimis haec forma apta esset,

interponerentur. Quorum praeceptorum non exiguum numerum Theognis carminibus intexuisse videtur, propter quae ipse maxime clarus habebatur atque carmina lectitabantur. Quae sententiae ex integris elegiis excerpi solebant, quo factum est, ut carminum eius fragmenta permulta servarentur. Propter istas sententias autem poetis, qui gnomici vocabantur, Theognis adnumeratus est: quod nomen non aptum esse vidimus. Theognis inter principales Graecorum poetas elegiacos numerandus est, atque dignus est, quem post Mimnermum atque Solonem collocemus. Sed cum plura vitae virtutisque praecepta, quae ad σωφροσύνην, summam Graecorum virtutem, ducebant, carminibus eius intexta essent, factum est, ut poetis gnomicis adnumeraretur; vestigia vero tantum huius poesis, quae iam apud antiquiores poetas et imprimis apud Solonem inveniuntur, Theognis secutus est, et quae nunc plerumque languent, quoniam nimis abrupta sunt, in ipsius poetae elegiis fortasse flores pulcherrimi fuerunt, quibus gaudere nobis non iam licet.

Nonnulla operarum vitia in plagulis prelo exeuntibus haeserunt, quae lectores benevole corrigant: p. 1, 1 divisionis signum excidit; p. 4, 16 fuisse legendum est; p. 11, 29 recenset l.; p. 13, 36 virgula ultima deleatur; p. 22, 36 prorsus legatur; p. 23, 6 excerptam l.; p. 25, 26 unusquisque l.; p. 37, 1 Σόλωνος l.; p. 42, 3 uberiorem l.; p. 43, 21 punctum tertium deleatur.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032016735